







LEGIS XII. TABVLARVM COLLECTA,

ET INTERPRETAMENTVM.

VTRIQVE ITERATA nunc editione, multum accessit.

THEODORI MARCILII
Professoris eloquentiæ Regij.






PARISIIS,
Apud DAVIDEM DOVCEVR, Bibliopolam via Iacobæa sub intersigno stantis & fixi Mercurij.

cIↄ. Iↄc. III.

Cum priuilegio Regis.







REVERENDISS^{o}. D. GVITARDO RateoEpiſcopoMontis-puellarum,& Chriſtianiſſimi Regis in conſiſtorio ſanctiore, Conſiliario.



OFFERO tibi Reuerendiſſime Præſul decem viros vni, ſed qui vt Valerius ille in verſu olim dixit, *Antiſtes mihi millibus trecentis.*

Decem legis Romanæ patres vni, ſed humanæ & diuinæ legis perito. Non alienum hoc tuâ perſona & dignitate munus. Ad quem re-

ctiore via hi decem Romani Solones cum tabulis suis proficiscerentur, quàm ad Episcopum qui domus, ciuitatis, Ecclesiæ regendæ peritissimus, optimè de omni genere legum existimare potest? Episcopum inquit Isidorus Pelusiota esse oportere, ὅλον ὀφθαλμὸν, πάντα ὁρῶντα, καὶ μηδὲν παρορῶντα: *Oculeum totum, & cui facile omnia peruidere, nihil præteruidere.* Nam est, Iuonis hoc Carnutensis episcopi ore dixero, *episcopatus ars artium, onus onerum, animarum regimen.* Ad hanc formulam administratio tua rectissimè conuenit. Nam & vigilantia, & rerum plurimarum peritia, vtriusque nauis, & ciuitatis & Ecclesiæ rectum clauum sic tenes, vt quiqui casus, quæquæ mutatio interuenerit, audenter dixeris, *Neptune nunquam hanc nauim nisi rectam.* Hæc de te non priui alicuius solum, aut Caij Lucijue opinio, sed & principis, cui fides &

Epist. CXLIX. lib. I.

Epist. XXII.

L. Seneca epist. XXCV.

Teletes Stobæi Serm. CLIV.

Epict. Arriani c. V. lib. II.

ἐπιστροφὴ tua ſic grata quàm quæ gratiſſima. Huic tanto regi ſæpe in conſiliis tu epiſcopus, quales Pipinus olim Caroli pater à Zacharia P. P. pontifices ſibi in aulam, oneris ſui participes, ſocios, adiutores requiſiuit expoſita huius regni neceſſitate, & impetrauit, *vt acerbitati temporis*, inquit Lupus Ferrarienſis abbas, *epiſcoporum induſtria mederetur, neue ſimplicitate pontificum cladem aliquam ciuitates acciperent.* Ergo vt ſi coram hi à me conſulti eſſent legis antiquæ ſanctores, ita ex animi eorum ſententia omnes ad te mitto. Tu ad te venientes in clientelam ſuſcipe nunc, olim populi Romani Quiritium patronos, meque ibi vnâ ſimul interpretem, qui tuarum virtutum prouentui, omnique laudum tuarum inſtrumento ſic faueo, vt non dicam à fauente aliquo tibi, ſed à fauore ipſo vinci me nolim, quã & hoc epigrãmatio fauentiam ita ſubſcripſi. Epiſt. XXCI.

Aura tibi adſpiret, faueatque Fauonius, aula
Cælica fert qualem, & principis aula tui.
Carpere iucundum has, vitali vt veſcier aura.
Triga tibi aurarum hæc ſit, comes adſiduus.

Lutetiæ Pariſior. a.d. XVII. Kalend. Iulij cIↄ Iↄc.

Tuus quaſi ære & libra
THEODORVS MARCILIVS.



LECTORI S.

HANC *legis* XII. *collectam & interpretamentum eius, siue stroma siue miscellam, aut quoquo tibi nomine gratum esse potest, in oculos tuos incurrere siui, non promeritum ita illud quidem, sed petentibus negare durum fuit. Forte an & in maliuolentium voces incurret. Sed aut eruditi illi, quos ego Mercurios maliuolos non pertimesco: aut barbari Potitij, quorum mihi voces eo sunt loci, quo sibi apud L. Senecam esse ait Demetrius. Neque illorum qui ante me collectas horum capitum fecère vin-*

dicias vereor: συχνὴ ἐπιχουρία. Nulla hinc nobis virium auxilia. Vnum Franciscum Pithoeum V. C. excipio, quem virtutis doctrinæque prærogatiua de cœtu illius plebis excepit. Quæsitissima Xuiralis naufragij tabularum collectio ex illius omni literarum laude principis thesauro edita Lutetiæ anno cIↃ.IↃ.XXCVI. *non quasi scalmus nobis vnus fuit vt vellemus, sed iusta penè materies vt auderemus ædificare hanc nauim. Tibi hanc lectorbeniuole offero, cui aliqua, si forte, hoc iuris antiqui mare intrandi cupido. Hoc si meus tibi animus gratum facere munus non potest, ratum faciet, spero, Xuiralis auctoritas, & Romanæ legis maiestas, quam Heraclitus Hermodoro scribens huius legislationis auctori & interpreti, & futuram præsagiuit vt*

L. II. §. *Exactis* D. *De orig. iur. Plin.* c. V. *lib.* XXXIV.

vates, *&* *quasi præsentariam orationis suæ peniculo pinxit.* ὄναρ, inquit, ἐδόκουν, τοῖς σοῖς νόμοις τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματα προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐγκλείοντας τὸ στόμα προσκυνεῖν αὐτοῖς. οἱ δὲ πάνυ σεμνῶς καθεστήκεσαν. Visio mihi. Omnia orbis terræ diademata venire salutatum leges tuas, & ore cluso eas Persarum ritu adorare. Illas autem perstare in statu maiestatis pleno. *Pergit mox & Sibyllam quasi antistari, quæ dixerit.*

Ἐξ Ἰάδος γαίης ἥξειν σοφὸν Ἰταλίνοισιν

Ionia Italiæ sapientem mittet in oras.

Tibi lector & fructum aliquem huius opellæ voueo: & Deum veneror. Vale.



LEGIS XII. TABVLARVM collecta.

CAPVT I.



SI in ius vocat, nei it antistator: igitur im capito: si caluitur, pedemue struuit, manum endoiacito.

II.

Si status condictus dies intercedit cum hoste, ito.

III.

Si morbus æuitasue vitium escit, qui in ius vocasit, iumentum dato: si nolet, arceram ne sternito.

IV.

. . . . Morbus sonticus . . . . si quid horum fuuat vnum iudici,

arbitroue:reoue dies diſſenſus eſto.

V.

Quoi ſe ſirit antiſtarier libripenſ-ue fuerit, nei teſtimonium fariator improbus inteſtabiliſque eſto.

VI.

Quoi teſtimonium defugerit, is tertijs diebus ob portum obuagulatum ito.

VII.

Poena falſi teſtis.

IIX.

Rem vbi pacunt, ratum eſto: nei pacunt, ante meridiem in foro, aut in comicio cauſam conſciſcito, quum perorant ambo præſenteis. Poſt meridiem, præſenti ſtlitem adicito. Si ambo præſenteis, ſol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.

IX.

Nexo ſolutoque, forcti ſanatique idem ius eſto.

X.

Poena iudicis qui ob rem diſceptandam, pecuniam accepit.

XI.

Si qui in iure manum conſerunt, vtrique ſuperſtitibus præſentibus, vindicias ſumunto.

XII.

Si vindiciam falſam tulit, rei ſiue ſtlitis prætor, arbitros tris dato, eorum arbitrio, reus fructi duplione decidito.

XIII

Vindiciæ ſecundum libertatem.

XIV.

.... *Hanc ego rem ex iure Quiritium meam eſſe aio Eaque mihi emta eſto, hoc ære æneaque libra* .... *rauduſculo libram ferito.*

XV.

Quum nexum faciet mancupiumque, vti Lingua nuncupaſit, ita ius eſto.

XVI.

.... *Transque data* ....

XVII.

Actio ex cauſa depoſiti, in duplum.

XIIX.

Æris confeßi, rebusque iudicatis XXX *dies iusti sunto. Post deinde manus endoiactio esto. In ius ducito. nei iudicatum faxit, aut quips endo eo in iure vindicit, secum ducito. vincito aut neruo, aut compedibus* XV *Pondo, ne maiore, at si volet minore. Si volet suo viuito, nei suo viuit, qui im vinctum habebit, libras faris in dies dato. Si volet plus dato .... Tertiis nundinis partes secanto. Si plus minusue secuuerint, se fraude esto.*

XIX.

Aßiduo vindex aßiduus esto: proletario, cui cui volet, vindex esto.

XX.

Vxor vsu.

XXI.

Bonorum societas inter coniuges.

XXII.

Partus legitimus.

XXIII.

Partus deformis.

XXIV.

Patria poteſtas.

XXV.

Si Pater filium ter venum duuit, filius à patre liber eſto: liberos ceteros ſemel ſi venum duuit, ſui iuris ſunto.

XXVI.

.... *Res ſuas ſibi habeto, claues adimito, foras exigito.*

XXVII.

De pudicitia matronarum.

XXIIX.

Paterfamilias vti legaſit ſuper pecuniæ tutelaue ſuæ rei, ita ius eſto.

XXIX.

Si inteſtatus moritur, cui impubes ſuus exſtabit heres, agnatorum gentiliumque tutela eſto.

XXX.

Mulierum tutela.

XXXI.

Actio tutelæ.

XXXII.

Tutor ſuſpectus.

XXXIII.

Si furiosus existit, ast ei custos nec escit, acnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.

XXXIV.

Curatio prodigi.

XXXV.

Ast si intestatos moritur, cui suus heres nec escit acnatus proximus familiam habeto, si acnatus nec escit gentileis familiam habento.

XXXVI.

Venter, siue is qui in vtero.

XXXVII.

.... *Ex ea familia, in eam familiam.*

XXXIIX.

Actiones hereditariæ.

XXXIX.

Familiæ erciscundæ.

XL.

Statu liberi.

XLI.

Vsus auctoritas fundi biennium esto: ceterarum omnium rerum vsus annus esto.

XLII.

Quod subruptum erit, eius rei æterna auctoritas esto.

XLIII.

Aduersus hostem æterna auctoritas esto.

XLIV.

Ambitus insularum.

XLV.

Pariete communi.

XLVI.

Confinium.

XLVII.

Si iurgant vicini, prætor finibus regundis arbitros tris dato.

XLIIX.

Interstitia.

XLIX.

Sublucatio arborum.

XLX.

Conlucatio.

LI.

Glans procidua.

LII.

Viarum latitudo.

LIII.

Amsegetes viam muniunto: si via inmunita escit, qua volet, iumentum agito.

LIV.

Si aqua pluuia manu nocet, arbiter coerceto.

LV.

Aquæductus.

LVI.

Si nox furtum faxit, si im aliquips occisit, iure casus esto ....

LVII.

Si adolat furto quod nec manifestum escit, duplione damnum decidito.

LIIX.

Furta per lancem & licium.

LIX.

Arborum furtim cæsarum.

LX.

Tignum iunctum ædibus vineaque concapis ne solnito .... quandoque sarpta, donec demta erunt.

LXI.

Frugem aratro quæsitam qui furtim nox pauerit, secuuerit: puberi capital esto, suspensusque Cereri necator, impubes prætoris arbitratu verberator, noxiamue duplione decernito.

LXII.

Si seruus sciente domino furtum faxit, aliamue noxiam nocuuerit, dominus noxæ dedito.

LXIII.

Si quadrupes pauperiem faxit dominus sarcito, noxæue dedito.

LXIV.

.... *Rupitias* ...... *sarcito.*

LXV.

Si iniuriam alteri faxit, XXV *æris poenæ sunto.*

LXVI.

Si quis occentasit malum carmen, siue condidisit, Quod infamiam faxit flagitiumue alteri, capital esto.

LXVII.

Qui os fragit, si libero, tercen-

tum: si seruo centum quinquaginta æris poenæ sunto.

LXIIX.

Si membrum rumpsit, nei cum pacit, talio esto.

LXIX.

Ne vnciario fenore amplius excercento.

LXX.

Ne res controuersa in sacrum dedicetur.

LXXI.

Patronus si clienti, cliensue patrono, fraudem faxit, sacer esto.

LXXII.

.... *Ast si stipulam incendenti ignis fugit.*

LXXIII.

Coetus nocturni.

LXXIV.

Sodalitia.

LXXV.

Non mittendum qui percunctetur nomen matrisfamiliæ.

LXXVI.

Perduellio.

LXXVII.

Si quis hominem liberum dolo sciens morti duuit, paricida esto. Ast si telum manu fugit, pro capite & natis eius in concione arietem subicito.

LXXIIX.

Veneficia.

LXXIX.

Qui malum carmen incantasit . . . . Qui fruges excantasit . . . . neu alienam segetem pellexeris.

XXC.

Paricidi quæstores.

XXCI.

Paricidæ.

XXCII.

De non necandis indemnatis.

XXCIII.

Priuilegia ne inroganto.

XXCIV.

De capite ciuis nisi per maximum comitiatum ne feruntо.

XXCV.

Quodcunque postremum populus iusit, id ius ratumque esto.

XXCVI.

Connubia.

XXCVII.

Ius fecialium.

XXCIIX.

Deiurium.

XXCIX.

Intercalatio.

XC.

Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neue vrito.

XCI.

Sumtum minuito. Tria si volet reicinia, & vincula purpuræ, & decem tibicines adhibeto, hoc plus ne facito.

XCII.

Rogum ascia ne poleito.

XCIII.

Mulieres genas ne radunto, neue lessum funeris ergo habento.

XCIV.

Homini mortuo, ne osua legito,

quoi post funus faxit.

XCV.

Vnctura seruilis tollatur, omnisque circumpotatio: ne respersio, ne longæ coronæ, nec aceræ.

XCVI.

Muratam potionem mortuo ne indito.

XCVII.

Qui coronam parit ipse pecuniaue eius, virtutis ergo arguitor. Ipsique mortuo parentibusque eius dum intus positus escit forisue ecfertur, se fraude imposita esto.

XCIIX.

Uni plura funera ne facito. Lectosue plures ne inferto. Neue aurum adito.

XCIX.

Quoi auro denteis vincti, ast im cum illo sepelire vrereue se fraude esto.

C.

Rogum bustumue nouum propius L.X. *pedes alienas ædeis, si do-*

minus nolet, ne adicito.

CI.

Fori bustiue æterna auctoritas esto.

FINIS.



LAVDATIO LEGIS XII.

CREBRA huic legi laudum, ceu florum adspersio in iure ciuili hodierno est, vt cum Iustinianus, L. penult. C. de legit. hered. *Lege* XII. *Tab. bene humano generi prospectum*, ait, *& antiquæ legis reuerentiam, nouitati legum anteponi censet*. Et Institut. §. Sed quia. De legit. agn. success. commendat legis antiquæ simplicitatem, quæ propria virtus legum est. *Lex*, inquit, XII. *Tab. simplicitatem legibus amicam amplexa est*. Ergo & identidem suas ex his tabulis constitutiones deriuat Iustinianus, & sæpe leges quibus anteriores principes aut prudentes

legi huic derogauere, vltro ipse abrogat.

Et iam olim identidem aliqua legis huiusce obsolescentis capita referre suasit Reipubl. vtilitas. vt obseruat Macrobius c. XVII. lib. III. aut, vt in aliis, c. XIII. lib. II. Exemplo est lex *Atinia* §. Furtiuæ. Instit. De vsucap. Lex *Aquillia* l. I. D. Arbor. furt. cæs. l. I. §. I. D. De noxa lib. *Mamilia*, apud Iul. Frontin. De limitib. agror. Sicul. Flaccum de condicionib. agror. Aggen. vrbicum de limit. agror. *Duillia* de fenore apud T. Liuium lib. VII. *Cornelia de Venefic.* l. III. D. Ad L. Cornel. de sicar. *Falcidia* l. I. §. I. D. Ad L. Falcid.

Benè itaque Patauina Siren. T. Liuius lib. III. has tabellas, *iuris publici priuatíque fontes* vocauit Neque mirum si quemadmodum Diodorus Siculus obseruat lib. XII. hæ tabulæ deinceps summæ semper omnibus admirationi fuêre. ἡ δὲ γραφεῖσα, inquit, νομοθε-

σία βραχέως καὶ ἀπερίττως συγκειμένη διέμεινε θαυμαζομένη μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς καιρῶν. *Legiſlatio vero illa, miſſa in literas, breuitérque ſine ſuperfluentia & ornatu digeſta, in omnium admiratione viguit, ad noſtrum ſeculum.* Nec leui teſtis fide Dionyſius lib. XI. has leges miratur vt νόμους μάλιστα σεμνούς, ſiue, Leges maieſtate præcipua. Latini autem eloquij pater Tullius in I. de orat. exclamat. vno legis XII. libello omnes omnium philoſophorum bibliothecas ſuperari, & tabellas iſtas omnium aliarum ciuitatum legibus anteponit: omnia quæ vſquam iura ciuilia præ Xuirali hoc iure *incondita ac pæne ridicula videri,* ait. Idem IV. de Republ. *Admirari* ſe has tabulas inquit, *nec rerum ſolum ſed etiam verborum elegantiam* Apud Marcell. in *Lis.*

Obſtrepet forte an aliquis vituperari hanc à Iuſtiniano legem, & tanquam paragrammate, anti-

quas tabulas vocari *antiquas fabulas* Procemio Inſtitutorum, & *antiquæ ſubtilitatis ludibria* l. vn. C. de nudo iure Quir. toll. Non nauci ratio illa. Nec enim XII. tabulæ Iuſtiniano *antiqua fabula* vt plæríſque in mentem fuit, neque prudentium reſponſa, vt eſt in notis ad Inſtituta ſecundis: ſed generatim Iuſtiniano *antiqua fabula* ius omne quod Iuſtinianeo ſiue hodierno iuri pugnans eſt, aut obſoletum, neque obtinens in ipſis rerum argumentis ſiue documentis, vt ipſe locutus Proœmio Inſtitutor. & §. vlt. De ſatiſdat. Hoc eſt, omne Xuirorum aut alius modi ius antiquum, quatenus excluſum à tritura forenſi, ſiue *moribus non receptum* vt dixeris ex l. IIX. D. De his qui ſui. Tali autem contemplatione, & aliqua capita legis XII. Tabular. & magnam partem iuriſprudentia media ſiue ius ciuile, & aliquammulta plebiſcita, & Sc.ta, & conſtitutiones prin-

cipum antiquæ fabulæ sunt. Sic l. vlt. §. 1. C. De iure dom. imp. vetustissima obseruatio, ipsis rerum documentis opponitur, id est, iis legibus quæ causas in foro iudicioque docere, siue probare possunt. Rectéque sic interpretatus Procemio Institutor. antiquas fabulas Theophilus. *Quæ viguere olim leges, hodie autem nullo vsu, hæ similes fabellis.* Sed, inquies, quid si notæ secundæ, antiquos iuris auctores intelligi voluere, non hos qui in Pandectis, sed iis anteriores, & obsoletos vt Brutum, Manilium, Aquilium, alios? Refero ego. *Nil agit exemplum, quod litem lite resoluit.* Nec enim talium iurisperitorum responsa omnia fabulæ. Non enim fabulæ veteres illi l. xxxix. D. De pact. Et *Bruti sententia obtinuit* l. lxiix. D. De vsufr. Discessere quidem sæpiculè à veterib. noui, non tamen vt responsa eorum pro fabellis vnquam fuerint, aut eneruata eis infractá-

que omnis auctoritas. Hinc illud l. LIII. De verb. signif. *Et sanè post veterum auctoritatem eò peruentum est, &c.*

Hæ ipsæ tamen fabulæ antiquæ, siue obsoletæ leges, perutiles: dixero & necessarias, quia intellegendis rerum ipsis documentis adminicula sunt. Eaque fini Iustinianus siue Quæstor olim & os eius Tribunianus antiquitatis notitiam & rerum documenta sic iugari voluere, vt hæc biga iuris antiqui & noui siue nouantiqui causarum patronos efficeret quasi περιδεξίους siue æquimanos, & ad omnes causarum defensiones nouo iure vt dextra, antiquo vt læua instructos & habiles. vt Institutis §. 1. De testam. §. 1. De fideicomm. hered. §. 1. De codicill. l. XIIX. C. De testa. Et Nouellis identidem. Quas ea in parte imitatus edictis suis Italiæ rex Theodoricus apud Aurel. Cassiod.

Ergo & *antiquæ subtilitatis lu-*

dibria, d. l. vn. interpretare non legem XII. sed ius ciuile & formularium, cui subtilitatem vt propriam Iustinianus siue Tribunianus adscribit §. Media. Institut. De legit. agnat. success.

Voluere aliqui & *iteratas fabulas* l. 1. §. Adhæc C. D. ann. except. esse XII tabulas, alij autem veterum responsa, vt notæ secundæ ad Institutiones: sed fabulæ iteratæ, iuris contortuplicatæ interpretationes & calumniæ, quibus in foro certauêre causidici Romæ nouæ.

Nihil itaque moremur vituperones huiusce legis, quæ iuris hodierni mater est: nulla eis præ Iustiniano fides, qui Nouella XXII. c. II. primam Reipubl. Romanæ descriptionem siue ordinationem huic legi in acceptis refert. Etenim de hac lege memorans ὁ παλαιότατος, inquit, ἡμῖν τῶν νόμων, καὶ πρῶτος σχεδὸν τὴν πολιτείαν Ῥωμαίοις διατάξας. *An-*

tiquissima legum, & quæ, dixero, prima Romanis ciuitatem siue ius ciuile descripsit. Vt & ante Iustinianum Tullius 1. de orat. ciuilem scientiam siue iurisprudentiam *descriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus ac partibus in* XII. *Tabulis contineri.*

Dixeris. Maneat hoc iam: sed qua mente legum ille pater Iustinianus, primam fuisse Romanis censet legem Xuiralem, cum leges aliæ vt Regiæ, Valeriæ, Sacratæ priores sint? Hæc itaque paullisper nobis in hoc cursu remora.

Leges Regiæ, Valeriæ, Sacratæ & Xuirales discretæ.

Lege Xuirali ordine temporis anteriores leges Regiæ, Valeriæ, Sacratæ.

Romuli nempe aliorúmque regum Romanis leges aliquammultæ, quæ in Codicem & quasi vnum corpus compactæ à P. Pa-

pirio, quæ collecta idcirco dicta ius Papirianum l. II. §. I. & §. Fuit autem. De orig. iur. l. CXLIV. De verb. sig. D. Sed regibus lege tribunitia exactis, regiæ item leges quasi cum patribus suis in exsilium profectæ, & obliuiæ factæ sunt, neglectæque odio regum d. l. II. §. II. Quam legem sic legere & capere oportet. *Exactis deinde regibus lege Tribunitia, omnes hæ leges exoleuerunt.* Hæc manus scilicet Pomponij & mens, exactum regnum lege Tribunitia, regias autem leges, populi tacito consensu. Frustra illi qui ad Tit. De orig. iur. quæsiuêre anxiè cuiusmodi lex Tribunitia illa legum Regiarum exterminatrix.

Sed de semita in viam. Ante quam Romulus leges sanxisset, nullum populo Rom. ius certum siue literatum siue scriptum, sed manus regis, hoc est, nutus & voluntas regia pro iure d. l. II. §. I. Ergo & regiæ leges cum exoleuis-

ſent poſt regifugium, populus iterum *iure incerto agi cœpit* d. l. 11. §. 11. nempe quaſi manu Coſſ. Scripſerat Pomponius *agi*, quod eſt, regi ſiue minari. Placuit ineptis reſcribere *ali*: vt & Tullius pro Licinnio cum ſcripſiſſet. *Hac ſtudia adoleſcentiam agunt*, id eſt moderant ſiue regunt: repoſuere illi, *Hac ſtudia adoleſcentiam alunt*.

Poſt regifugium illa iuris Romæ incertitudo, ſiue nullus iuris ſcripti vſus annis prope lx. d. l. 11. §. 11. Male in vulgariis ibi numerus xx. ex manu librarij ſcilicet, non articulis & computo Sex. Pomponij.

Moneamus autem & hoc perſuſoriè, non eſſe Pomponij verbum ſed interpretis de triuio d.l. 11. §. 1. *ſine lege certa*. Rectum fuit, ſolitarium hoc, *ſine iure certo* Lex propriè ſcripta certaque: ius autem quoque inſcriptum & incertum, exque regia manu ſiue nutu ſuſpenſum. Itaque d. l. 11. §. 11.

hæc opponens *Incerto*, inquit, *iure magis, quàm per latam legem.*

Frustra autem de annis xx. quærit callidus idem iuris interpres ad Tit. De orig. iur. vt neque reges exactos de Tarquinio Superbo rectè interpretatus. Exacti reges Pomponio sunt, exactus Tarquinius & liberi. Regum liberi & ipsi reges. Notat interpres Virgilij ad Eclog. I. & Æneid. II. Tullius Cæsariana III. *Propone tibi duos reges.* Nempe, Deiotarum & filium.

Quæ dicta de iure populi Rom. post regifugium incerto, cum exceptione legum Tulliarum cape. Nam hæ quidem rursus populo receptæ anno ipso regifugij, cum quidem ante fugam eas Superbus Tarquinius abrogauisset. Dionys. lib. v.

Tullias leges secutæ Valeriæ de prouocatione. Narrat Dionysius lib. eod. Plutarch. Valerio. T. Liuius III. Et lib. x. Valer. c. I. li. IV.

Post Valerias Sacratæ leges, siue de Tribunitia potestate anno post regifugium fere XVII. De his Dionysius lib. V. Festus in Sacratæ leges. Ad leges Sacratas refer & legem Iciliam primam, de qua Dionysius lib. VII. Et Iciliam alteram, de qua idem lib. X. Sic enim & T. Liuius lib. III. nomine Sacratarum Icilias complexus est. *Modò*, inquit, *ne lex Icilia de Auentino aliæque sacratæ leges abrogarentur*. Ergo & cum Tullius lib. II. de legibus dixit, *in veteribus sacratisque legibus*. Veteres accipe regias & Valerias: sacratas autem, propriè Sacratas, & Icilias. Neque rectè Obseruatio XXI. lib. V. rescripsit. *In* XII, *Sacratisque legibus*. Restat ei Cicero ipse. Negat enim se verbis vti velle, non quidem Xuiralibus, nam his planè vtitur: sed antiquissimis qualia in legibus regiis & sacratis.

A legibus Sacratis peruentum ad leges Xuirales siue ad ius cer-

tum. Etsi enim leges Tulliæ & Valeriæ & Sacratæ iam receptæ Romanis, tamen ad Xuirale sæculum ius incertum Romæ. Nam leges Tulliæ de contractibus & iure priuato pauciores, quàm vt rerum siue litium varietati essent pares. Quippe omnes numero quinquaginta. Dionysius lib. IV. Valeriæ autem Sacratæque leges non de priuato iure, sed publico.

Meritò itaque Iustinianus Nouel. XXI. c. II. vt capite superiore dictum est, omnem iuris ciuilis Romani descriptionem legi Xuirali in acceptis refert. Ea enim lex tempore quidem posterior, sed vtilitate prior est.

Sic ergo cum XII. Tabulæ iuris Romani fontes sint, nil mirum si lex illa multinomia & identidem laudata est.

Nomina Legis.

Etenim & *lex* XII. *Tabul.* &

breuius *Lex* XII. vt apud Festum in *vagulatio*, & verbulo vno, XII. Tullius II. De legibus. *Discebamus pueri* XII. &c. Sic & Constantinopolitis δυσκαιδέκατον, δωδεκάδελτον, δωδεκάδελτον. Glossæ, Duodecim παβ. δυοκαίδεκα. Festus in *Recinium*.

Eadem & absciſè *lex*, tanquam legum aliarum regina & domina vt l. VII. §. Si paciſcar. De pactis. l. CXXX. De verb. ſign. l. III. De vſucap. Inſtitut. De legit. patr. tut. Et toto iure ciuili. Apud Ciceronem Top. epiſt. IIX. lib. IIX. ad famil. Feſtum in *Percunctatum*.

Xuiralis item ea *lex*. A. Gell. c. I. lib. XX.

Eadem & *ius ciuile* vt l. VII. D. De bon. damn. Vlp. Reg. Tit. XXII. §. XIX. Iuſtinian. Inſtit. §. IX. De hered. ab inteſt. §. III. De teſtam. §. Emancipatos. De exhered. lib. §. I. De vſucap.

Dicta & *lex antiqua* vt l. II. §. I. De noxalib. l. I. De orig. iur. D. l.

XIV. l. penult. De legit. hered. l. vn. De nudo iure Quirit. toll. C. §. vlt. De legit. agn. ſucceſſ. §. Quæ autem De bonor. poſſeſſ. Inſtit. Et *antiquiſſima lex* Nouel. XXII. c. II. Et *ius antiquum* l. XXIX. §. VII. D. De lib. & poſtum.

Et *ius exploratum* quatenus recepta in vſum forenſem vt l. IV. & penult. C. De legit. hered.

Et *lex Romana* Feſto in *Erctum*.

Originem ipſáſque cunas & quaſi crepundia legis Romanæ inſpeximus & tanquã luſtricũ eius diem ſiue nominalia egimus: operæpretium porro iam & diſtinguere, ſeu prænominib. fratres. Vt enim fratrum alius maior alius minor natu, ſic Romanum hoc ius alterplex.

Genus tabularum duplex.

Legis huiuſce tabularum aliæ priores, aliæ poſteriores. Priores

x. in quas Xuiri leges ſuas incidêre anno magiſtratus ſui priore: poſteriores autem duæ xi.ª. nempe & xii.ª. Has enim quaſi adpendices aut mantiſas & corollaria Xuiri addidêre anno magiſtratus ſui proximo ſequente. Fides à Pomponio l. ii. §. ii. De orig. iur. Dionyſio fine lib. x. T. Liuio lib. iii. Macrob. Saturn. c. xiii. lib. i.

Fugit Diodorum Siculum ratio qui lib. xii. tradit acceſſiſſe tabulas duas non proximo, ſed altero ſequente anno. Hæc in tempore vna eius erratio: altera in legiſlatore. Nam latas inquit, tabulas ſecundas non à Xuiris ſed Coſſ. Atqui tabulas illas ſecundas Xuir Appius Claudius tanquam lolio perſperſerat; legib. nonnullis quæ ſemina eſſent diſcidiorum inter patres ac plebem. Vt lege illa, *Ne connubium plebi eſſet cum patriciis*. Quemadmodum obſeruat Dionys. fine lib. x. Item altera lege iubente *auſpicia & ius fecia-*

lium, in patrum potestatem esse, exclusis plebeijs. Traditum hoc à Seruio ad Æneidem VII. explicante cur *Faliscos* Homerus Romanus *æquos* dixerit. Appij ergo Xuiri trebace versutáque & dominatum petente legislatione facta lex Romana est ambiformis, æqua & iniqua. Æqua in x. tabulis primis: iniqua in duabus secundis. Primarum tabularum ius æquum plebi & patribus: secundarum ius plebi iniquum. Ergo & irata plebes, perosáque tabulas secundas, contumeliæ causa Oscas nominitauit, quod eæ leges Xuiris ex Faliscorum iure ciuili petitæ. Notat Seruius loco antedicto.

Falisci nempe, aliæq; in Italia semigræculæ gentes, & quarum sermo purus putus Latinus non esset, Osci à Romanis indigetati, vt Campani apud Festum in Mæsius. Hinc Titinnius apud Festum in *Osci*.

Qui Oscè & Volscè fabulantur,

nam Latinè nesciunt, vt si diceret. Romani quidem iure ciues, sed lingua Osci & rurestres. Osci nempe despicatui Romanis quia rurester eorum sermo & inelegans, vt apud Festum in *Solitaurilia*, *Vngulus*, *Multa*, *Pipatio*, *Mamertum*, *Mæsius*, *Pitpit*, *Veha*, *Sollo*. Iidem & Romanis odio quia hostes plærique. Itaque & infames fecere tanquam spurcitia morum insignes, vt & spurcam lanam Oscam dixit Næuius in Romulo. Varro v. de ling. lat. *Spurca est lana quam in Romulo Næuius, &c.*

Hoc itáque sensu plebes Romana tabulas secundas nomine Oscarum legum adfecit.

Exerrat Cloacius Verus apud Festum in *Oscum*. *Oscas* leges accipiens *Sacratas*. Nam hæ quidem prorsus Romanæ sunt. Deuij & illi qui non *Oscas* sed, *Oscitas* leges quasi adscitas dici censuêre, quasi aduentitias & petitas ex

Græcia, siue vt Dionysius loquitur ἐπεισάκτους. At eo quidem pacto leges omnium tabularum Oscæ dicerentur.

Ad summam, XII. Tabularum aliæ Romanæ & æquæ & priores: aliæ & Oscæ & iniquæ, & posteriores. Quare cùm C. Tacitus annali III. leges Tabularum, *finem iuris æqui* nominat, de prioribus tabulis propriatim acceperis. Nã hæ quidẽ plebi & patribus æquæ: at posteriores iniquæ. Quanquam & postmodo iniquiores leges latæ, & aliæ in patricios, aliæ in plebem propensiores. Hæc & in regum legibus notata iniquitas siue inæqualitas, à Dionysio lib. IV. Seruij Tullij leges patribus & plebi æquas fuisse: Tarquinij autem Superbi leges iniquas. His ita decursis, paucula & de ordine legis pergo.

Ordo legis Romanæ.

Ab in ius vocatione orsi legem

ſuam Xuiri, non autem à iure publico, vt plæriſque in mentem fuit. Fundus autem huic noſtræ de ordine legis ſententiæ Tullius lib. II. de legibus. Nam pro lege XII. dixit, *Si in ius vocet*. A principio nempe legis, legi vniuerſæ nomen fecit. Ad hoc exemplum & auctor ad Herennium lib. II. *Quod genus eſt*, inquit, *In ius vt eas cum voceris*. A principio ſiue capite primo denominans legem ipſam.

Huic rei argumento eſt & ſeries quæ in Iuſtiniani Digeſtis, edictoque perpetuo Adriani, & ordo librorum T. Caij ad legem XII. Tab. vt inſcriptione l. XIIX. XX. XXII. De in ius voc. l. VI. Si quis caut. l. CCXXXIII. De verb. ſign. D.

Auctarium & ratio illa. Non iuris publici deſiderio ſed priuati, à plebe creatos Xuiros legibus ſcribundis. Hoc ita in votis populo fuiſſe perſpexeris narratione Dionyſij lib. V. de primis Coſſ. Bruto & Tarquinio. Hi nempe

cupidi à plebe gratiam inire leges quinquaginta Tullias retulere, non de religione quidem illas aut magiſtratibus: ſed de iure priuato, vt contractibus & iniuriis. Ergo & Dionyſius leges illas populo viſas ait νόμους φιλανθρώπους ϗ δημοτικούς. *Leges perhumanas & populares.* Tulliuſque Rex ipſe apud Dionys. lib. IV. de hac legis latione ſua tanquam populari, pro concione gloriatus eſt.

CAPVT I.

SI IN IVS VOCAT.

Exſcriptum hoc legis caput partim ex Porphyrione ad Horatij Sat. IX. lib. I. partim T. Caio l. CCXXXIII. De verb. ſign. & Feſto in *Struere*.

Tulere Xuiri aduerſus reos qui ſequi nollent in ius, vt apud

Plaut. Curcul. Sc. XIII. Aſin. Sc. VII. reus in ius vocatus, *Non eo,* inquit. Sequi reus debuit ſtatim, hoc eſt, ſine deliberatione. Quippe actio ei antequàm vocaretur edita iam erat. vt apud Terent. Adelph. Act. II. Sc. I. Nihil itaque reo tunc opus deliberatione: at hodie ſpacium deliberandi habet. Simul enim & actio editur & in ius vocatur.

Sequitur itaque reus iure Xuirali ſtatim, extra quàm ſi vadimonium promittit, ſiue ſatiſdat iudicio ſiſti. Veſtigium eſt l. v. §. vlt. D. Qui ſatiſd. cog. Inde rubrica Digeſtis, *In ius vocati vt eant aut ſatiſdent.*

NEI IT.

Ire in ius, ſequi vocantem. Plin. Panegyr. *In ius veni, ſequere ad tribunal.* Lucian. bis accuſato. ἕπου μιαρὲ πρὸς τὸ δικαστήριον. Sequere ſceleſte ad tribunal. Ire,

ſe qui eſt, vt Horatij epiſt.III.

ANTISTATOR.

Teſtes facito. Gloſſæ veteres. *Amteſter* μαρτυρήσαιμι & προμαρτύρομαι *Anteſtor*. Priſcian.c. II. lib. XII. *Anteſtari* προδιαμαρτυρηϑῆναι, ſiue, ante iudicium teſtificari.

In ius reum vocaturus, amicos ſibi aduocabat, vt ſi reus ſequi noluiſſet, teſtes eos ſibi faceret recuſationis, ijque dicti aduocati, Plaut. Patruo. Sc. IX. Terent. Eun. Act. IV. Sc. VI. Aduocati nempe hi, quia vocati ad anteſtationem à petitore: antiſtati vero ijdem cum iam teſtes facti, teſtes autem deinde in iure. Perſpicuum ex his quæ Acro ad Sat. IX. lib. I. Neque placet Obſeruatio XVI. lib. VII. negans alios antiſtatos fuiſſe quàm reos ipſos. Teſtem ſibi facit Plaut. Curcul. Sc. vlt. ſed melius habent libri veteres.

Hoccine pacto indemnatum, atque intestatò me abripi? Creditor cum reum deprehendisset, plerùmque omissa formula *in ius voco te*, amico suo siue aduocato *Licet*, inquit *antestari?* Horat. Sat. IX. lib. I. *Licet*, inquibat ille & auriculam opponebat siue præbebat petitori, vt is eam peruelleret. Horatius indidem, & interpretes Acro, Porphyrio. A Romanis ritus ille peruellendi auriculam & in alias prorepsit gentes Indicio, *testis per aurem tractus* in Baioariorum lege c. III. & vlt. Tit. XVI. Et lege Ripuariorum *Torquere auriculas*. Tit. lxII. c. I.

Si nullus creditori aduocatus, rogabat aliquem de corona circumstante *Licet antestari?* Is præbere si nollet auriculam, siue testis fieri recusaret, *Nō licet*, inquibat, vt apud Plaut. Curcul. Sc. XIII.

Non semel autem, sed iterùm tertioq; peruellebat petitor imam auriculam siue oricillam ei quem testem

testem facere vellet, totidem vices & formula vsus illa. *Memento quod tu mihi in hac causa testis eris.* Tum antistatus *Memini*, inquit, apud Actonem loco antedicto. Plautum Pœnulo Sc. IX. Asinar. Sc. VII. vbi illud, *Memini*, non mercatoris, non Leonidæ, non Libani, sed alicuius forte adstantis, & notari debuit litera A. id est. Antistatus.

Idem ritus iure Attico vt in vetere lapillo iam alijs decantato, μνημόνευε. Et apud Aristoph. Vespis μέμνησο.

Ἀλλ' ὅπως σὺ μέμνησ' αὐτὸς ἅ μ' ἀπεκρίνατο.

Memento tute qualia mi responderit. Proletaria res autem cur auricula infima peruelleretur ex Plinij c. XLV. lib. XI. Seruio ad Ecl. VI. Clemēte Alexādr. Stromat. lib. VI. Hinc & parœmiacum illud *Aurem peruellere* pro, redigere in memoriam, apud L. Senecam c. XXXVI. lib. IV. c. VII. lib. V. de be-

nefic. Sic itaque & dominus ſeruo auriculã peruellit apud Plaut. Perſa. Sc. xx. & magiſter diſcipulo apud Seruium loco prædicto, Auſonium Copa. Plutarchum Catone Seniore, Fabium c. I. lib. VI.

IGITVR IM CAPITO.

Deinde, ſiue poſt antiſtationem eum capito, ſiue teneto. Tenebatur reus à creditore in ius vocante. Lucian. bis accuſato εἴληφά σε ὦ κατάρατε. Teneo te ſceleſte.

At inteſtatus ſi teneretur, actio fuit iniuriarum, vt apud Plautum Curcul. Sc. XIV. Terent. Phorm. Act. V. Sc. IIX. Cui non diſſimilis actio iniuriarum ſi quis non debitorem, quaſi debitorem adpellet. l. XV. §. Si quis non debitorem. D. De iniur.

Tenere illud ſiue prehendere intellige dicis cauſa, & quaſi per vim feſtucariam ſiue quotidianam

& ciuilem. Cuiusmodi manu consertio, De qua est sequens c. XI. Tenebatur nempe vt duceretur ad tribunal, vt apud L. Senecam Satyra Claudiana.

Igitur, est deinde, siue postea. Festus. Marcellus. Donat. ad Eunuch. Act. I. Sc. I.

Im est lingua Xuirali eum, Macrobius Saturnal. c. IV. lib. I. Gl. vet. *Im αὐτὸν, εἰς αὐτόν Im, eum τὸν αὐτόν.*

SI CALVITVR.

T. Caius explicans hoc legis caput. *Si caluitur*, inquit, *est moretur, & frustretur.* Sic enim esse oportet l. CCXXXIII. De verb. signif. Hæc nempe reorum ire siue sequi nolentium deuerticula. Mora, frustratio, calumnia. Quæ Xuiri verbo vno complexi *Caluitur.* Hinc *caluitas* pro frustratione l. XXIX. §. in omnibus. D. Mandati. Glossæ veter. *Caluitur ἐξαπατᾷ,*

& Priſcian. c. I. lib. IX. ex Saluſtio, *Calui* interpretatus decipi. Interpretatus quid *calui* & Marcellus, apud quem lectio alterplex. Aliqui libri veteres *Calui* dictum eſſe *à caluis inimicis*, alij *à caluis mimis*. de vtraque lectione duco paulliſper altiores lineas.

Et Calui quidem dictum à caluis inimicis non diſconueniens eſt. Calui quippe inimici & hoſtes fruſtratui ſunt, quia nullus eis pilus quo trahi aut rapi poſſint. Et referre licet cogitationem ad priſcum ritum prehendendi inimicum aut hoſtem capillo, vt Mercatoris Plautinæ Sc. Agite. Artemidori c. XXII. lib. I. Virgil. Æneide II. Sueton. Nerone c. XLI. Plutarchi Theſeo, Polyæni lib. I. in Theſeo, Strabonis lib. X. in Curetum hiſtoria. Et in eadem apud Euſtath. ad Iliad. XXIII. Cui mentio & ad Iliad. II. Veſtigium & apud Saxonem Grammaticum, fine lib. VI. hiſtor. Danicæ. Sic &

athletæ ἀποκειράμενοι τὴν κόμην, ἵνα μὴ ληφθῶσιν ταῖς θριξίν. *attonsa coma, ne prenderentur capillis* Isidor. Pelusiota epist. clxi. lib. ii.

Caluorum autem duo genera. Vnum eorum quibus pili profluxêre, qui Græcis σελήνια *Lunulæ*, aut πανσέληνοι *pleniluny*, aut ἥλιοι *Soles*, apud Nicetam in annalibus, Synesium encomio caluitij, Et apud Dionem loco prædicto, alterum genus caluorum, qui rasi vt Amphitruonis Plautinæ Sc. i. Et *Seiani* Romæ olim sub Tiberio. C. Dio lib. lvix. in narratione de L. Seiano Prætore. Marcellus in *Qui liberi.* Hinc & *Venus Calua*, & *caluitium* in literis sacris pro rasura. Deuteronomij c. xiv. Leuitici c. xxi. Tertyllian. Carmine ad Senatorem. *Quod te non fecerit ætas Sed tua religio caluum.*

Anne probabile hoc iam de caluis inimicis? sed est & vulgariæ

ſua lectioni acies, nempe caluos ſiue raſos in ſcæna mimos fuiſſe ſiue γελωτοποιούς. Patet Galeni ad VI. ἐπιδημ. commentario VI. Καθάπερ ἐπ' Ἀντωνίνου τοῦ Κομμόδου πατρὸς ἐποίουν οἱ συνόντες ἅπαντες ἐν χρῷ κειρόμενοι, Λούκιος δὲ μιμολόγους αὐτοὺς ἀπεκάλει, *Quemadmodum ſub Antonino Cōmodi patre factitauêre comites eius omnes raſi, ſiue calui vt eſſe vellent, mimologos autem eos Lucius vocabat* Artemidor c. XXIII. lib. I. ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην πλὴν Αἰγυπτίων θεῶν ἱερεῦσι, καὶ γελωτοποιοῖς, καὶ τοῖς ἐξ ἔτους ἔχουσι ξυρᾶσθαι, ἀγαθόν: πᾶσι δὲ τοῖς ἄλλοις πονηρόν. Dixeris Latinè. *In ſomnis videri caput ſibi totum radi, Ægyptiacorum quidem ſacerdotibus numinum, & ſcurris ſiue mimis, & quib. in more poſitum eſt caluitium facere, bonum: at ceteris omnibus malum.* Mimi ſcilicet propriè ridiculi, vt apud Plutarch. lib. De tranquillitate

animi. Captare in theatro ex mimis *ὠνητὸν γέλωτα*, *risum venalem*. Apuleius Florida I. In theatro, *si mimus est riseris*. Martial. epigr. xlI. lib. II.

Mimos ridiculi Philistionis.

Quod Aurel. Cassiodorus Formula lI. lib. IV. *περὶ φρασε.* *Mimus*, inquit, *qui nunc tantummodo derisui habetur, tanta Philistionis cautela repertus est, vt eius actus poneretur in literis. Quatenus mundum edacibus curis æstuantem, latissimis sententiis temperaret.* Libanius Panegyr. Iuliani Imper. Consulis. *καὶ μῖμοι γέλωτας ἀφορμὰς νομίζοντες.* *Et mimi risus occasionem præbentes.* Hinc & *mimicum* identidem pro ridiculo. Differunt tamen *μῖμος* & *γελωτοποιὸς* vt patet Plutarchi Bruto.

Sic & moriones calui siue rasi prisco ritu, quò respexit anathematicus ille Antol. c. III. lib. II.

------ *μωρὸν ὁρᾷς φαλακρόν.*

Hinc & aculeus in Cæsarem

dicterio triumphali, apud Suetonium Iulij c.LI.

----- *Mœchum caluum adducimus.*

Caluum vt in mimo ſcilicet ridiculum, ſiue mimicum.

Calui autem illi mimi fruſtratui omnibus in theatro, cum dant fruſtrationes mimicas. Fruſtrationes ſiue ludificationes erroreſque, caput cœnæ in mimis & comœdiis. Itaque Plautus Phaſmate Sc. vlt. *Optimas* fruſtrationes dixit.

Dicito his quo pacto ſeruus tuus te ludificauerit,

Optimas fruſtrationes dederis in comœdiis.

Tales Amphitruone Plautina fruſtrationes Sc.VI. & IIX. Adque mimicas huiuſmodi comicaſue fruſtrationes referas non male griphum de fruſtratione ex Satyris Q. Ennij, qui apud A. Gellium c. II. lib. XIIX. *Hæc* itaque *pars maior eſſe videtur.*

PEDEMVE STRVVIT.

Festus in, *Pedem struit*. Glossæ vet. *Pedem struit* φεύγει. Et in excerptis. *Pedem struo* φεύγω. verius. *Pedem struere*, quod Plauto est. *Fugam fingere* Captiu. Sc. III. Et Lucilio apud Marcell. in *Fingere*.

MANVM ENDOIACITO.

Vestigium & hoc iuris Attici, vt liquet Luciani iterum reo. Sic apud Plutarch. Amatorio τῆς χλαμύδος θιγγάνειν.

Manus autem hac iniectione, data creditori potestas reū ni sequeretur, rapiēdi, trahēdi in ius aut iudicium, manu collo iniecta, siue collo obtorto, vt Patrui Plautinæ Sc. IX. Rudent. Sc. XIIX. Curcul. Sc. vlt. Amphitruon. Sc. XIII. T. Liuij lib. IV. Itaque & Græci ἄγχειν dixere quod Latini rapere

vt Lucianus, iterum reo.

Manu collo iniecta porro etiam trahebant. Lucianus ibidem, ἕλκουσιν ἀλλήλους. *Trahunt se*, nempe in ius. Crebræ autem eiusmodi raptationes tractusque in litib. ex delicto magis quàm de pecunia. vt Euclionis Plautinæ Sc. XXVII. Persæ Sc. XX. Curcul. Sc. XIV. Rudent. Sc. XIIX.

Sed reorum aliquos creditor in ius vocare potest, manus verò in eos iniectio non est, vt in matremfamilias apud Valer. c. I. lib. II. Huiusque priui iuris reliquiæ. l. I. c. D. offic. diuers. iud. Nouel. CXXXVI. c. IX. Item in latitantes. l. XXI. D. De in ius voc. Aliquos autem ne in ius quidem vocare licet. vt l. II. & sequentib. & l. XX. D. eod. De hoc genere inscriptio legis xlIIX. De verb. signif. ex *T. Caij libris ad edictum Prætoris vrbani, Titulo. Qui néque sequantur neque ducantur.*

II.

TVllius I. de offic. *Indicant*, inquit, XII. *Tabulæ* AVT STATVS DIES CVM HOSTE, &c. Ad hoc itaque XII. Tabularum caput scribens T. Caius lib. II. ad l. XII. Tab. l. CCXXXIV. De verb. sign. interpretatus est hostes, peregrinos. Ex capite hoc Xuirali nata & Plauto illa Curcul. Sc. I.

Si status condictus cum hoste intercedit dies,

Tamen est eundum--------

Eadem & iurisiurandi militaris formula ex L. Cincio apud A. Gellium c. IV. lib. XVI. vbi repone, *Siue statui condictus dies cum hoste.*

Iunctum autem hoc legis caput superiori, vt in ius vocationem sequitur vadatio & vadimonium.

SI STATVS CONDICTVS DIES.

Parallelismus linguæ Xuiralis, siue παρεγγραφὴ, siue ἐπαναδίπλωσις. *Status condictus dies.* paullulo tamen discrimine. Statuit enim diem Prætor, condicunt rei siue confligentes, cum vterque diem alteri in iure denunciat Vnde illud Sex. Pompeij. *Condictum, quod in communi est dictum.* Vestigium est & l. LXVI. D. De contr.emt.

Propriatim verò statum diem esse ciui cum peregrino, Sextus idem notauit. *Status*] inquit, *dies vocatur, qui iudicij causa est constitutus cum peregrino.* Macrob. Saturn.c. XVI. lib. I. *Dies*, inquit, *stati sunt qui iudicij causa cum peregrino instituuntur.* Constitutus ille dies vadimonij obeundi. Hinc Glossæ vet. *vadari* explicant μετὰ παραγγελίας συντάσσεσθαι

Condicere. Nam & inibi eſt. *Condico* συντάσσομαι μετὰ παραγγελίας. Et συνταγὴ μετὰ παραγγελίας. *Condictio.* Quippe ex cõdictione diei, vadimonium.

Hæc vt diei condictio fieret, ſiue vt reum ſibi liceret vadari, creditor libello petebat à Prætore; vt Euclionis Plautinæ Sc. vi. nempe vt Prætor libello ſubſcriberet. Plin. epiſt. x. lib. I.

Voluere itaque Xuiri hoc capite, iure vadimonij pares facere ciues & peregrinos.

Non exerrauerit autem ſuſpicans hoc capite legis nominatos à Xuiris *vades & ſubuades*, de quib. nugo ille apud A. Gellium c. x. lib. xvi.

IIII.

EX A. Gellij c. I. lib. xx. Commune hoc caput le-

gis ad in ius itionem, & obitionem vadimonij.

SI MORBVS.

Morbus leuiculus aut vitium corporis A. Gellius loco antedicto. Morbus nempe leuiculus non febris, ſed *calor* Varroni apud Marcell. Tibullo lib. IV. Iuuenali Sat. XII. Idem *Vapor*. vnde *vapide ſe habere*, pro calere, verbum in Auguſti ore apud Sueton. c. XXCVII. A vapore ibi vapidè, non à vappa vt aliqui ſuſpicati. Vitium autem corporis, vt balbum eſſe aut atubum.

ÆVITAS'VE.

Æuitas, mala ætas, ſiue ſenium. Marcell. in *Senium* Plaut. Menæhm. Sc. XIII.

Vt atas mala, merx mala ergo eſt----

Varro Terent. Tithono apud

Marcell. in *Æuum.* quem sic lego---*Quia,*

Volantis æuitatis extima, adtigit metam, æuitas.

Æuitas priore loco ἡλικία, χρόνος: posteriore, senium. Hoc enim vult Tithonus ille. Se in extima vitæ iam tegula esse.

Æuitati contraria, *ætas bona* id est iuuentus apud L. Senecam epist. XLVII. & *bonum tempus* epist. I. Quod priscis non vltra annum XXX. Scholiastes Homeri ad Iliad. I.

VITIVM ESCIT.

Vt apud Lucret. *Escit.* lib. I. & V. Et inferius c. XXI. & XXV. Et apud Festum. *Escit, obescit, superescit.*

Vitium autem hoc capite & seq. pro impedimento. Et quod nunc *vitium* dixere, id Iulianus *impedimentum* l. lx. D. De re iud.

ARCERAM NE STERNITO.

A. Gellius c.I. lib.xx. Varro IV. de Ling. Lat. & Gloſſæ vet. vbi rectè *Arcela*.

IV.

XVIRIS hæc ſecundæ tabulæ lex ſecunda, apud Feſtum in *Reus*.

Tangit hoc caput & Vlpianus l. II. §. Si quis iudicio. D. ſi quis caut.

Eſt autem hoc item caput legis vt & ſuperius, de rei ſiue debitoris exceptionibus non eundi in ius, aut non obeundi vadimonij. Superiore ſcilicet capite reiiciuntur exceptiones inutiles, vt morbi leuiculi & æuitatis: hoc capite dantur iuſtæ exceptiones, vt morbus ſonticus & aliæ, quarum veſtigia

ex XII. Tabulis sunt, in ius scilicet non eundi l. II. & sequentib. D. De in ius voc. vadimonij non obeundi l. II. & seq. D. si quis caut.

MORBVS SONTICVS.

Sontici morbi exceptionem hoc capite legis fuisse, fidem Vlpianus facit l. II. §. Si quis in iudicio. D. Si quis caut. Ex eaque Xuirali exceptione, tanquam riuuli passim toto iure ciuili, morbi sontici exceptiones. Eiusmodi exceptio & apud A. Gell. c. IV. lib. XVI. Aurel. Cassiod. epist. IV. lib. IX.

Morbus sonticus aut temporarius aut perpetuus est. Temporarius impedimento est in ius vocationi & vadimonio vt hoc capite, & iudiciis, vt l. lx. D. De re iud. Perpetuus impedimento vt tutelis, testamentis, in ædilium edicto vterq. l. vlt. §. Quoties D. De ædil. ed. quam legem pugnare dictæ legi lx. frustra suf-



picati ſunt, qui nuperrimè ſcripſere ad l. cxiii. De verb.ſig. Quippe nec ἐναντιοφάνεια quidem aliqua eſt propius intuenti. Nam ecce rem. C. Caſſius d.l.vlt. notat. ſi in venditione ſerui morbus ſonticus forte nominetur, *perpetuum intelligi* oportere. Cauſa notandi Caſſio fuit quod in Ædilium edicto, nulla ſontici morbi facta mentio eſt, l. iv. §. pen. De ædil. ed. Quare autem ſontici morbi nulla ibi mentio? *Nihil enim*, ait Pompon d. l. iv. *ibi agitur de ea re cui hic ipſe morbus obſtet.* Subobſcurè hoc Pomponius. Intelligi autem vult. Ne produci quidem ſolere à mangonibus venales morbo adfectos ſontico perpetuo. Quid ita? Quia vix vnquā lateant tales morboſi, nec in eorum venditione fucum emtori mango facere poſſit. Venditio itaq. ſerui propriè res non erit, cui obſtet morbus ſonticus, quia nec venditur ſeruus eiuſmodi. Tamen ſi

emtor,in lege cōtractus,morbum exceperit sonticum, haud dubiè intelligi perpetuum. Hac mente & Pompon. l. vi. D. eod. *Rectè ait, non tantùm ad perpetuos morbos, verùm ad temporarios quoq. hoc edictum pertinere:* Suspicaretur nempe stultus aliquis siue iuris insciens, de perpetuis morbis vel maximè intelligi ædiles voluisse: admonet Pomponius, etiam aut & magis de temporarijs edictum esse. Dubitandi ratio esse potuit, quia scripserant. ædiles de morbo generaliter d. l. iv. §. pen. & l. I. §. Aiunt. D. eod. Quæri potuit, an perpetuus morbus an temporarius intelligendus? Rectè iuris antistites illi admonent, vtrūq. & magis quoq. temporarium. Neq. temporarios omnes tamen. Leuiculos enim locum redhibitoriæ non dare, cuiusmodi leuis lippitudo, aut leuis dentis auriculæ'ue dolor, aut mediocre vlcus, aut febricula d. l. iv. §. vlt. At d. l. ix.

is morbus ſonticus qui cuiq. rei ſiue liti impedimento eſt.

Sed miſſas facio vmbras antinomiarum inanes, iocularia̅ eccillam moueo dubitationem quaſi *contra retiarium ferulam*, κουφόταλον βέλος καὶ μαλακώτατον ἀμυντήριον, vt Plutarchus loquitur Sympos. Probl. x. lib. VII. Quam inquies ferulam, aut contra quem retiarium? Vlpiano Martialē oppono, poëtam, iuſtitiæ ſacerdoti, ſed poëtici tamen amœniq. ingenij. Ait enim Vlpianus d. l. IV. §. III. *Si quis fatuum aut morionem ſeruum vendiderit locum eſſe redhibitoriæ.* Martialis autē epigr. XIII. lib. IIX. mangonem, quaſi formula ſiue actione redhibitoria pulſans, ait.

Morio dictus erat, viginti milbus emi
Redde mihi nummos Gargiliane ſapit.

Vult redhibitoriæ locum eſſe, quia pro morione venditus ſapiēs.

Et quidem iure hoc Martialis. Nam morioni pretium maius quàm ſapienti. D. Auguſtinus lib. I. contra Pelagianos. *Ipſos quoq. fatuos videmus, quos vulgo moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æſtimatione pretioſiores eſſe cordatis* &c. Recte item Vlpianus. Nam reſpicit non delicias diuitum, ſed vſum vitæ communis, & vim ipſam vocabuli. Pretioſiores autem ſapientibus moriones ſiue reapſe naturaq. moriones illi quales d. l. IV. §. III & D. Auguſtini loco anted. Martial. epigr. XCV. lib. XII. XXXIX. lib. VI. ſiue arte & ſimulatione, nēpe ſanniones vt Martiali epigr. præd. & epigr. CCX. lib. vlt.

SI QVID HORVM.

Nam exceptiones & in ius vocato, & vadimonij reo multæ, vt funus familiare, & aliæ d. l. II. &

ſeq. De in ius voc. d. l. II. §. III. Si quis caut. D.

IVDICI, ARBITRO'VE, REOVE.

Imitatus Iulianus l. LX. D. De re iud.

Eſt autem & hæc duplicatio Xuiralis, *Iudici arbitróve.* non ſine differentia tamen. Itaq. ſatis ſcurriliter & mimicè hanc formulam riſit Tullius pro Murena. Etenim iudex in caußis legitimis ſiue ſtricti iuris: arbiter in iudiciis bonæ fidei. Hinc formula rei à Prætore petentis iudicẽ arbitrúmue, apud Valer. Probum. P. I. A. V. P. V. D. *Prætor iudicem arbitrúmue poſtulo vti des.*

DIES DIFFENSVS ESTO.

Feſtus. *Eo die diffenſus eſto.* Sed ſcilicet ſcripſiſſe Xuiros. *Ei dies*

diffensus esto. aut *Dies diffensus esto.* Diffensus siue diffinsus pro diffisus, *Fendo* priscis findo. Glossæ vet. *infendit* σχίζει, ἐπιτείνει. Turbatum ibi, *infendo* & *intendo*, vt & contra *infendere* ibi pro *intendere.* Fendo verbum tangit & Priscianus c. III. lib. XI.

Diem vero diffindi accipe differri, vt patescit l. LX. De re iud. l. II. §. III. Si quis caut. D. Diffinditur dies cum differtur, dilatio enim diffindit vnum diem iudicialem aut vtilem, siue diuidit in duos.

V.

EX A. Gellij c. XIII. lib. XV. Tangit idem c. VII. lib. VI.

Lex prima de antistato fuit: hæc de antistato testimonium defugiente est.

QVOI SE SIRIT ANTISTARIER.

Priſco ritu in omni librę penſo, ſiue mancipatione, ſiue nexu, aut contractu, *libripens*, & *Antiſtatus*, & *V. teſtes ciues Romani puberes.* Sic mācipationis ad ſummam teſtes VII.

Hinc & poſtmodò in teſtamentis adhibiti teſtes VII. *quod*, inquit Iuſtinianus, *ius ciuile quodammodo exigebat.* §. Sed cum Inſtit. de teſtam. *Quodammodo* dixit, notans diſcrimen teſtium in teſtamentis per æs & libram, à teſtibus in teſtamentis Prætoriis & mixtis. In illis V. teſtes, libripens & familiæ emtor: in his VII. teſtes qui proprie dicti *teſtes Rogati* l. XXI. §. Teſtamentis l. XXVII. D. Eod. l. XXI. §. I. C. Eod. Tangit & Fabius Declam. CCLIIX.

De libripende & V. teſtibus, T. Caij narratio eſt ex lib. I. Inſtitutorum

tum apud Seuerin. Boët.lib.I.cōment.ad Top.Cic.& apud Priſcianum lib. VI. Et in Anianicis ſiue Gothicis Caij Inſtitutis Tit. VI. Narrat & Vlpianus Regul. Tit. XIX. & Theophilus §. Præterea. Inſtit.Quib.mod.ius patr.pot.

Antiſtati autē Vlpianus, item Caius apud Boëtium nullus meminit: ſed Aniani Caius expreſſim de antiſtato, & teſtes in ſumma VII.fuiſſe ait. Non dixero antiſtatum illum ex Aniani capite Mineruam eſſe. ſed antiſtatum eſſe teſtem per aurem tractum de quo dicta res c.I. Quinque autem pręter hunc teſtes alios non attritos auricula. Iique teſtes Claſſici. Feſtus in *Claſſici*. Claſſici illi quia ciues Romani, quorum claſſes, neque omnium tamen. Quippe nulla claſſe proletarij & capite cenſi A.Gellius c. x. lib.XVI. Ergo hi neque teſtes vt apud Iuuenal. Sat. III. Malè ſuſpicati aliqui, hos neque ciues.

Duplex itaque olim teſtium genus. *Antiſtati* & *Claſſici*, vt & antiqua Ripuariorum lege Tit. lxii.c.i. Atq. vt in teſtametis per libræ penſa, emtor familiæ: ſic in alijs mancipationib. antiſtatus. Iocularium autem acumen illius qui in commentario ad Anianum Caij. c.vi.ita notauit. Antonium Auguſtinum & Adr. Turnebum verſatos in errore, quia perſuaſi antiſtatum pro teſte fuiſſe.immo, inquit,antiſtatus eſt qui teſtes aliquos ſibi rogat, ſiue facit. Quid ita? Quia inquit, *paſſiuum verbum non eſt antiſtari.* Atqui A.Gellium mi homo legiſſe oportuit, loco quē prænotauj vbi vtrūque recté, Antiſtor te, tèſtem facio te, & antiſtor à te, teſtis tibi fio, ſiue patior me antiſtari.

LIBRIPENS VE FVERIT.

Hoc iſto ex capite riuulus ille T.

Liuij apud Priſcian c. II. lib. IIX. *Impubes libripens eſſe non poteſt, neque antiſtari.* Vt ſi diceret. *Neque libripens, neque antiſtatus eſſe poteſt.*

Quis autẽ libripens, eſt apud Caium Aniani Tit. VI. ex Caio eſt apud Priſcian. lib. VI. Tangit & Vlpianus Regul. Tit. XX. Plin. c. III. lib. XXXIII. Seuerin Boët. ad Top. Cic. lib. I. Gloſſæ. vet. Et Theophil. §. Acceſſit. Inſtit. De teſtam. §. Præterea. Quib. mod. ius patr. pot. Fabius Declamat. CCCIIX.

IMPROBVS.

Improbus, infamis vt in lege Valeria. *Improbè factum*, id eſt, Factũ dignum infamia. T. Liuius lib. X. *Valeria lex, cum eum qui prouocaſſet, virgis cædi ſecurique necari vetuiſſet: ſi quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltra quàm, improbè factũ, adiecit. Id (qui tũ pudor hominũ erat) viſum credo vinculum ſatis validũ legis: nunc vix ſeruo ita minetur*

quisquam.&c.Sic T.Liuius tinnit, quasi improbè factum in lege Valeria nihil aliud,quàm, malum factum : sed forte an vt in lege Xuirali, sic & lege Valeria improbus, infamis & dignus nota quasi Censoria, ex eáque ipsa improbitate siue infamia, intestabilis.

Neque absimilis vox illa incerti apud Terent. Varronem c. lxix.lib.I. de re rust. *Perperam fecisse*. Sed veriùs ibi.*Perpernam fecisse*. Designatus nempe auctor cędis *Perperna*. Quod autem loco T.Liuij antedicto est,*vix seruo* cor rectum merito v. cl. Petrus Pithoeus Subseciu.c.II.lib. II.voluit *vix seriò*.

INTESTABILISQVE ESTO.

Intestabilis qui testis fieri non potest l. xIIx. l. xxvI. D. De testam. A. Gellius c.vII.lib.vI. Glossæ vet. *Intestabilis*, ἀπηγορευμένος, ἄτιμος, μὴ προσδεκτέος εἰς μαρτυ-

ἐίαϱ·& *Inteſtabilis* ἀτελής, ἀμάρ-
τυρος.

Inteſtabilis inſuper qui nec facere teſtamentum poteſt d.l. xɪɪx. Vetus interpres Horat. ad Sat.ɪɪɪ. lib.ɪɪ. Prior ille ſignificatus à Xuiris: poſterior à iuriſperitis, ſiue ex iuriſprudentia media. Teſtis mihi d.l.xxvɪ.cum ait. *Et eò amplius, vt quidam putant*, &c. *Quidam*, aliqui nempe capitis huiuſce interpretes, ſiue iuriſperiti verbum hoc *Inteſtabilis*, extendentes.

Aliter neque recte capit hoc verbum Xuirale Theophilus §. Teſtes. Inſtit. De teſtam. Et notæ priores ad d. §. Teſtes. In ſalebra eadem & Cõſtantinus, Tit.vɪ.lib. ɪ.§.lɪx.Suſpicati nempe inteſtabilem primo ſignificatu eſſe, qui teſtatori pollicitus ſe teſtem fore, nec fuerit:at Xuiri communiter ad omnia libræ penſa, ſiue omnes contractus reſpexere. Priſco ritu nempe & lege xɪɪ. Tabul. in omni cõtractu libripens & antiſtatus

aliquis, vt & iure Attico in omni contractu testes apud Demosth. orat.I. πρὸς ὀνήτορα ἐξούλης, & contra Phormionem.

Atq; vt ex hoc isto legis capite, actio, in antistatum qui testimonium dicere abnuit: sic lege Solonia δίκη λειπομαρτυρίας. De qua Iul. Pollux c.I. lib. IIX.

V I.

EDit Pompeius Fest. in *Portum.* Et in *vagulatio.*

Non quiqui testimonium defugerit, desertor testimonij est: sed qui post trinundini siue trinam denunciationem recusauit.

IS TERTIIS DIEBVS.

Trinundino siue ter intrà dies VII. & XX. vt ἐς τρίτην ἀγοράν apud Plutarch. in Marcio, & Dionysium lib. VII. Sic *tertijs nundinis*

infra c. xirx.

Male trinundinum plebeij, ix. dies accepêre. Legend. Tullius pro domo. Macrob. Saturn. c. xvi. lib. i. c. xvii. lib. iii. siue vt alij c. xii. lib. ii.

Vagulationes autem illæ trinundino, vt exspectaretur testis dum in vrbem aduentaret nundinis. Tunc enim Quirites plerique omnes rurestres. Plin. c. iii. lib. xiix. *Nundinis vrbem reuisitabant &c.* Similiter apud T. Liuium lib. ii. Macrob. Saturn. c. xvi. lib. i.

Ex hac ista trinundini vagulatione siue citatione, profluæ in causis ciuilib. trinæ decimis diebus inter dies xxx. citationes, tribus edictis: l. lxix. & sequentibus D. De iud. l. xiii. §. ii. C. eod. Aliter tamen hoc ius Nouel. cxii. c. iii. Variat & in crimine. Tunc enim trina tribus dieb. reorum citatio l. x. D. De publ. iud.

Vagulari, siue citari testem vo-

luere Xuiri, domo extrahi noluere. Cuius æquitatis vestigium l. iv. §. Prætor ait. De dam. inf. l. ciii. De reg. iur. l. xxi. De in ius voc. D. Et apud Fabium c. iix. lib. vii.

OBVAGVLATVM ITO.

Hoc κληΐεύειν Athenis. Planè plenéque hoc Iul. Pollux c. i. lib. iix.

VII.

CAput superius de non dictione: hoc de falsa dictione testimonij. De quo legis capite A. Gellius c. i. lib. xx.

Ac Xuirali quidem lege falso testi pœna, rupes Tarpeia: hodierno iure pœna variat, vt indicio est l. xvi. D. De testib. vbi; *competenter*, accipe non vt inepti ex Constanti-

ni Tit. vi. lib. i. §. vlt. ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων, ſiue *à indicibus qui competentes*, ſed variè, ſiue ex officio, ſiue conuenienter ad varietatem cauſarum, & perſonarum, vt indicio l. xiv. C. Eod. Et Paull. Sentent. Tit. xxv. §. ii. lib. v.

IIX.

POſt in ius vocationem, & vadimonia, & antiſtationes, & vagulationes, de pactis & prætoris cognitione iunximus. Pactis enim excluſæ cognitiones, & verò & in ius itiones, & vadimonia, vt Plautinæ Patrui Sc. xiix.

REM VBI PACVNT.

Promit auctor ad Herenn. lib. ii. A. Gellius c. ii. lib. xvii. Tetigit & Fabius c. vi. lib. i. Terent. Scaur. in Ortogr. Qui & notat, *pacunt* ſcriptum à Xuiris, Græco ele-

mento κάπτα. Nouiore autem ſcriptura & *paco* & *pago* eſt. Vt Gloſſæ veteres συντίθημι, συναγνύω *pago, compago.* & Scaurus teſtis aliquos ſcripſiſſe olim *pacunt*

RATVM ESTO.

Si paciſcuntur rei, nihil opus cognitione Prætoris, ſiue ratum id pactum. vt hodiéque regula iuris. *Omnia iudicia abſolutoria eſſe.* §. vlt. Inſtitut. De perpet. & temp. act. In ciuilib. hoc quidem cauſis: at in delictis pleriſq. non pactio ſed depectio ſiue turpis pactio eſt. l. IV. §. vlt. & l. ſeq. De his qui not. inf. l. XVII. §. Quædam. De pact. D. l. XIIX. De tranſact. l. X. Ad L. Iul. de adult. C.

ANTE MERIDIEM.

Horarum quæ nobis hodie, nulla notitia Xuiris Plinius c. lx. lib. VII. Cenſorin. c. XXIII. de die

nat. A. Gell. c. III. lib. III. Victorinus quidem ad Tullij II. de Inuent. censet inuentas cum clepsydris. Ergo nec præfiniuere Xuiri certam diei horam, sed ἐν πλάτει, *Ante meridiem.* Ritu autem recentiore, principium cognitionis hora diei III. Martial epigr. IIX. lib. IV.

Exercet raucos tertia causidicos.

Finis cognitionis hora V. vt idem epigr. IIX. lib. IV.

In quinctam varios extendit Roma labores.

Et epigr. lxvII. lib. IIX.

Retenti sæpe tamen iudices & post meridiem, vt apud Cic. Bruto. Horat. epist. VII.

IN FORO AVT IN COMITIO.

Hæc item veteris linguæ duplicatio, quam & Plautus imitatus Curcul. Sc. VII. Tullius Verri-

na III. & IV. Et pro Sextio. epist. III. lib. IV. ad Att. Sueton. Iulij c. X. Plinius c. XIIX. lib. XV. C. Tacit. principio Agricolæ. Aliquatenus tamen *forum & comitium* differunt. Comitium fori pars ante curiam Hostiliam vt patet legenti cum cura T. Liuium lib. V. post concionem M. Camilli. Hinc itaque ficus Ruminalis in foro Plinij loco anted. eademque in comitio P. Victori in vrbis topographia. Forum est duplex Promercij, & Iudiciale. Sed propriè quidem vbi res venales id forum; vbi lites, id comitium. Indicio est Varro IV. de ling. lat. *Comitium dictum*, inquit, *quod eò litium causa coirent.* Hinc aduocati dicti *comitiales* apud Plaut. Pœnulo Sc. VI. Et apud Macrob. Saturn. c. XVI. lib. III. aut vt alij c. XII. lib. II. in orat. C. Titij. *Iudices veniunt in comitium, &c.*

CAVSAM CONSCISCITO.

Veteres A. Gellij codices c.II. lib. XVII. *Causam conscito.* Xuiri, opinor, *consciscito.* Consciscere est cognoscere, vt Glossæ veteres. *Cō-sciscit* συγγινώσκει. Prætor siue iudex cognoscit, siue consciscit rem siue litem, cum his qui in concilio: rei autem ipsi & patroni conijciunt.

POST MERIDIEM.

A meridie dimissi iudices si causa perorata: at pæne perorata mansêre aliquādiu. Vnde Claudij imperatoris dedecus non perseuerantis, apud Sueton. c. XXXIII.

A meridie autem horā conueniendi .IIX. aut IX. vt Verrina II. etiam X[a]. vt in oratione C. Titij apud Macrob.

Sed hoc quidem insolens: nam quotidiano ritu finis hora VII.

Martial.epigr.IIX.lib.IV. Vnde VII. diei horæ primæ, *pars diei maior* l. II. De verb. sig. & *melior diei pars* Æneide IX. Quamquam Seruius aliter.

PRÆSENTI STLITEM ADDICITO.

Pœna hæc ista iure Xuirali non obeuntibus vadimoniũ ante meridiem, causa cadere. Vestigia illius pœnæ crebra, vt apud Ciceronem pro Quinctio, & Verrina IV. Horatium Sat.IX.lib.I. Sueton. Caio c.XXXIX.

Magnus hic antiquæ legis rigor, qui lenitus iure hodierno, vt L. LXXIII.§.I.D. De iudic.l.I.C. Quõ. & quan.iud.sent.fer.deb. Vituperatus & Claudius vt nimis ea in re scæuus, apud Sueton.c.XV.

Aliæ itaque nunc absentiuis reis pœnæ, vt l.IV.§. vlt. & identidem, D.Si quis caut. l.XV. C. De iudic. Nouel.CXII.c.III. Nouel.LIII. c.IV.

Insuper autem & hoc diuide, cum dicitur vadimonij desertor causa solitus cadere. Vadimonium aut actor deserit siue creditor, aut reus. Ille prisco iure litem perdit vt locis ante dictis: at huic pœna leuior, sc. multa. Testis locuples Valerius c. IV. l. IV. exẽplo Quinctij. L. Seneca c. XXXIX. lib. IV. de benefic. Male frustra est Carolus Sigonius c. XXI. lib. I de iudic. censens, magis etiam reum vadimonij desertorem causa cecidisse, quàm creditorem.

Stlitem vero litem prisco sermone. Glossæ veteres. Stlipes δίκαι ἀρχαί. Fuit. *Stlites* δίκαι, ἀρχαίως.

SOL OCCASVS.

Terentius Varro v. & VI. de ling. lat. A. Gellius c. II. lib. XVII. Festus in *Supremum*. Macrob. Saturn. c. III. lib. I. Censorin. c. XXIV. de die natali. Tangit & Plinius c.

LX. lib. VII. Sol occaſus hora XII.

Litem mouet Grãmaticus Soſipater, negans dici Latinè Sol occaſus lib. III. vt neque ſatis Atticũ eſſe, δύσας ὁ ἥλιος. Stultè quidem literio ille, ſtribliginis arguẽs Xuiros, & annales Q. Claudij apud A. Gellium c. II. lib. XVII.

Attici dixere ὁ ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν. Sol in mõtibus. Muſonius apud Stobæũ Serm. I. τὴν ἐσχάτην ὥραν παρατηρεῖν, εἰ ἔστιν ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν. *Supremum diei tempus obſeruare, ecquid ſol in montibus.* Reſpexit ad finem Phædonis Platonici.

SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Nox ſuperueniens litem dirimit, vt prælium. Plin. epiſt. IX. lib. IV.

Prætori tamen permiſſum lege Plætoria præconis voce tempeſtatem ſiue horam ſupremam

edicere, & iudices dimittere si vellet, ante solem occasum. Varro v. de ling. lat. Censorinus c. xxiv. Ergo tunc plerũque suprema tempestas hora xa. quæ & in Senatu Romæ hora suprema apud L. Senecam fine libri prioris, De tranquill.

Plebeij legum interpretes ex non intellecta l. ii. §. Et quia magistratibus. D. De orig. iur. & Nouel. xxcii. c. iii. errorem suxere vt crederent, benè ritéque & noctu exerceri iudicia.

Videtur eis facere posse & Plinius ep. ix. lib. iv. cum ait. *Dixi in noctem, atq. etiam nocte inlatis lucernis* &c, estò, sed nulla ibi sententia sequitur.

IX.
NEXO SOLVTOQVE.

PRomit Festus in *Sanates*. Qui autem propriè *nexi* tradit Te-

rent. Varro VI. de ling. Lat. Iique apud T. Liuium lib. II. & IIX. *Nexi ob as alienum*. Et *Nexu vincti*.

Qui *soluti* est l. xlIIX, De verb. sig. Tangit & l. IV. §. I. *Planè si vinculis*. D. Si quis caut.

FORCTI SANATI'QVE.

Qui *forctes & Sanates* variant apud Festum sententiæ. Sed planissimè *forctes* Xuiris ciues Romani, qui ante hostes nunquam, sed boni semper ac frugi: *sanates* autem qui olim hostes, at nunc ciues.

Forctes nempe quasi fructes à fruge, Festus. *Forctis, frugi, & bonus siue validus*. Iidem Horctes. Festus. *Horctem*, inquit, *& forctem pro bono dicebant*.

IDEM IVS ESTO.

Vtrisque voluêre Xuiri ius æquum, siue sententiam iudicis æquã

esse, Sic Athenis qui donati ciuitate, dicti ὅμοιοι siue *pares*, vt apud Laërt. Psephismate de Theophrasto. Et ὅμοιοι νόμοι *Leges pares*, ciui nempe & peregrino, apud Thucydidem lib. I. & interpretem.

X.

HOc in XII. Tabulis fuisse caput, A. Gellius c. I. lib. XX. suggerit vbi, *ob rem dicendam*, relege, *ob rem disceptandam*.

Romæ itaque ex XII. Tabulis iudici nummario capital: Athenis autem multa. Iul. Pollux c. I. lib. IIX. Interpres Thucyd. ad lib. VI.

X I.

EX A. Gellij c. IX. lib. XX. Festo in *superstites*.

SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT.

De iure manu conſertione A. Gellius narrauit loco antedicto. *Manum*, inquit, *conſerere eſt, de qua re diſceptabatur, in re præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſt, cum aduerſarium ſimul manu prenderet, in ea re omnibus verbis vindicare.* &c. Librariolorum illud, *omnibus verbis*: A. Gellij manus, *optimis verbis*.

Optimum pleniſſimum, vt *optimo iure*, pleniſſimo. *Optima lege optima conditione*, pleniſſima. Optima verba, pleniſſima, id eſt formulæ, Formulæ pleniſſimæ & verbis circumfluæ. Sic, *verboſè*, de formulis apud Ciceronem pro Murena, & *loquaciter litigioſus* pro petitore intẽdente formulam. Indidem. vbi & ius ciuile formularium, vocat *verboſam ſimulationẽ prudentiæ*. Sic *verboſitatem* cape l.

vlt. C. De donat. Ad formulas itaque tam loquaces propriè regula illa iuris ſpectat. l. xciv. D. illo tit. *Non ſolent quæ abundant vitiare ſcripturas*. Ex qua D. Auguſtin. c. xxvii. lib. iv. de ciuit. Dei. *Solet enim à iuriſperitis dici. Superflua non nocent*. Sic *verba ſuperflua*, caped. l. vlt. Facit huic regulæ. l. xxci. D. eod. Sic autem leges illæ interpretandæ magis, quã adſtringendæ ad fideicommiſſa aut legata, vt fecere συρφετὸς interpretum, atque ipſi verò & proceres. Scurriliter autem profluentiam illam formularum dicentarius Cicero riſit pro Murena.

Differt *In iure manum conſerere*, &c, quæ apud Valer. Probum in notis formula eſt; E.I.M.C.V. *Ex iure manu conſertum voco*. Illa ex xii. Tabulis formula eſt: hæc autem ex iure prętorio. Ex xii. Tabulis *in iure*, eſt in re preſenti, vt fundo ſiue qua de re agitur. Nam *in iure*, eſt vbi Prætor ius dicit,

etiam domi & in itinere. L.IV. De interrogat.in iure fac.l.penult.De iust. & iure. D. ex iure prætorio, *Ex iure* est à prętore in rem præsentem.Huius vocationis & reuocationis formula est apud Ciceronem pro Murena. *Fundus Capenatis, qua de re agitur, qui est in agro &c*, Tangit idem Verrina IV. Vestigium huius formulæ item l. VI.De rei vind.l. XX.D. De lib. leg. cum ait, *possessionem Capenatem* Tullius Verrina IV. *Si paret fundum Capenatem quo de agitur, &c*. §. Omnium. Instit. de actionib. vbi ait, *Quam Titius suam esse adfirmet, &c.* Geminusque germanus huiç iuris ciuilis ritui, ritus iudicij petitorij antiqua lege Alemanorum. Tit XXCV. Et Baioariorum. Tit. XXIV. Vtrobique ad exemplum videlicet legis Romanæ.

VTRIQVE SVPERSTIBVS PRÆSENTIBVS.

Festus in *Superstites*, qui *Superstites* interpretatus, testes præsentes, vt & Acro ad Epodam I. Sed linguæ Xuiralis duplicatio illa, *Superstitibus præsentibus*.

VINDICIAS SVMVNTO.

Hinc formula prætoris mittentis in rem præsentem, quæ tangitur à Festo in, *Superstites*.

Ex Xuirali hoc fonte & formula deductionis moribus apud Cic. pro Murena. Et Seru. ad Æneidem III. non sine menda.

Deductio moribus, *vis moribus facta*, & *vis quotidiana* Ciceroni pro Cæcina. A. Gellio *vis ciuilis ac festucaria* c. IX. lib. XX.

Huius vestigium *iactus lapilli* l. VI. §. Sciendum. Si seru. vind. l. V. §. Meminisse. De noui op. nunc.

& Pandectar. Eclog. Tit. III. lib. x. c. II. Et *manu prohibere.* L. l. D. De adq. rer. dom.

XII.

SI VINDICIAM FALSAM.

EX Pomp. Festo, in *Vindiciæ.* Tangitur & l. Iulianus. §. Quantum. D. Ad exhib. l. vn. C. Theodos. De vsur. rei iud.

TVLIT.

Pro *abstulit*, antiquè, vt apud Ail. Lamprid. in Alexandro. Ail. Spartianum in Seuero. Fl. Vopiscum in Aureliano. Volcat. in Auidio. *Tulo* nempe olim dixere, nunc tollo est. Prisc. c. IV. lib. IIX. c. I. lib. x. Glossæ vet. ἀφαιρῶ *Abstulo, Adimo.*

REI

REI SIVE STLITIS.

Περιγραφὴ Xuiralis. Ex eáque in actionibus siue formulis quotidianum illud, *Quam rem siue litem dicere oportet*. Teren. Varro VI. de ling. lat. Porphyrio ad Sat. IX. lib. I. Vestigium est l. IX. C. De suis & legit. Propriè autem. Res de qua iurgant siue iure agũt: lis iurgium ipsum. Res extrá iudicium, lis in iudicio, vt l. In summa. §. I. D. De condict. indeb. Mimicè itaque Tullius pro Murena risit iurisperitos duplicantes, *Rem siue litem*.

PRÆTOR.

Prætor in lege hac Xuir. Nam prætor quiqui præit in iure. Itáque Lucilius apud Varronem IV. de Ling. Lat.--- *Prætorum est endo praire*. Endo videlicet in iure, aut in exercitu.

ARBITROS TRIS DATO.

Vt C. xxxvi. *Tris arbitri finibus regundis.* Et quidem proprius arbitrorum numerus ternarius, l. xvii. §. Principaliter. D. De arbitr. vbi & ratio numeri arbitrorum imparis. Ergo & lege Mamilia non duo arbitri finib. regundis, ſed vnus, apud Ciceronem lib. 1. de Legibus.

Arbitri autem finibus regundis, quia incertæ quantitatis fructuum æſtimatio eſt. incerta quantitas in arbitriis §. in perſonas. Inſtitut. De actionib.

DVPLIONE DECIDITO.

Qui falſam vindiciam tulit, ſiue prædo, ſiue malæ fidei poſſeſſor, ex lege xii. Tabular. duplos fructus reſtituit. Tangitur hoc ius Xuirale l. vn. C. Theodos. De

Vſur. rei iud. vbi lex hanc æquitatem, *ex iuris priſci formulis introductam* ait, ex lege, ſcilicet, XII. Tangitur & L. Iulianus §. proinde. D. Ad exhibend. vbi lex ait. In actionem ad exhibendum venire fructus ex die accepti iudicij, & *ſecundum legem æſtimari, &c.* Legem accipe XII. Tabul. Suadet inſcriptio l. IX. D. De vſur. Æſtimantur ex XII. Tabulis à primo die poſſeſſionis, ex iure Digeſtorum à die accepti iudicij.

Mentio huius duplorum fructuum æſtimationis & l. I. C. Theodoſ. De fruct. & lit. expenſ. Et apud Paull. Sentent. Tit. IX. lib. V. §. II. D. Ambroſ. epiſt. XXIV. Rectéq. obſeruatum eoſdem eſſe fructus maiores l. VI. §. vlt. Mandati l. XII. §. II. de diſtract. pign. D.

Iuſtiniano ſiue menti eius Tribuniano nuſquam vlla de hoc iure mentio, quaſi par eſſet conditio prædoni & bonæ fidei poſſeſſori.

Duplio autem pro duplis fructibus siue maiorib. verbum Xuirale, item alio capite legis apud Plinium c.III. lib. XIIX. Eadem *dupla*, l. XX. D. De lib· causa. Et *duplicium*, l. I. c. Theodos. D. vsur. rei iud.

XIII.

EIusmodi in XII. Tabulis caput fuisse, patet l. II. §. Initium secessionis. D. De orig. iur. Et apud T. Liuium lib. III. narratione de Virginia. Dionysium lib. XI.

Hinc & in hodierno iure aliqui riuuli, vt l. XXIV. §. I. D. De liber. cau. l. vlt. Quib. ad libert. proclam. non licet. l. vlt. De ord. cognit. C. Et §. Præiudiciales. Institut. De actionib.

XIV.

VIndiciæ priores mancipatione, cuiuſmodi & Pandectarum hodie ſeries.

Eſt autẽ duplex emtio & venditio. Naturalis & Ciuilis. Naturalis, exordinaria eſt, ſiue abſq. ordine & formula: Ciuilis ordinaria ſiue formularia, ex lege XII. Tabular. Naturali hodie vtimur, ciuilis obſoleta eſt. §. Venditæ, Inſtitut. De rer. diuiſ. Ciuilis dicta mancipatio. Itaq. Vlpian. Regul. Tit. II. §. In bonis, *ſeruum emtum & mancipatum* diſtinguit. De mãcipatione caput hoc legis in XII.

HANC EGO REM.

Hanc ſollennitatẽ id eſt formulam ex lege XII. Tabular. eſſe ait Boetius lib. III. Comment. ad Top. Cic. autumans videlicet propalam ex lege eſſe, non per conſequen-

tiam vbi ait. *Quæcunque igitur res lege* XII. *Tabular. aliter, nisi per hanc solennitatem, abalienari non poterat.*

Videtur autem in lege fuisse *Hāc ego rem &c.* rē videlicet, mācipi. De qua Vlpian. Regul. Tit. I. & XIX. Seuerin Boët. ad Top. Cic. Isidor. c. IV. lib. IIX.

EX IVRE QVIRITIVM.

Iure Quiritium pleno, quo quis rei dominus est, eamque in bonis habet l. vn. C. De nudo iure Quirit. toll. Vlp. Regul. Tit. I. & XIX. Plenum id ius, quia continet dominium naturale siue in bonis, & ciuile siue ex iure Quiritiū mero. Illud *Bonitarium*, hoc *Quiritarium* dixeris, si videtur, ex Theophilo. §. vlt. Institut. De libertin. Pleno iuri Quiritium opponitur nudum ius Quiritium, quo quis rei dominus dicis causa, vt emtor familiæ, aut pater fiduciarius.

Theophilus d. §. vlt.

Tollitur autem hoc ius nudum siue imaginarium, siue *somnorinæ*, vt Varro diceret, *imaginis*, d.l.vii.

Differunt itaque *ius Quiritium ius Quiritium plenum*, & *ius Quiritium nudum*. *Ius* Quiritium est duplex, aut enim bonitario iungitur, & plenum fit; aut separatim capitur, & nudum est.

Peccat Tribunianus. §. Sed ius quidem ciuile. Instit. de iure nat. cum ait, *ius ciuile, vel ius Quiritiũ*, &c. Dicere hoc ita potuit Caius necdum abrogato iure Quiritario: non potuit rectè Tribunianus iam abrogato iure Quiritium nudo. Nã hodie idem non ius ciuile & ius Quiritium: sed ius ciuile, & ius Quiritium plenum, siue bonitarium.

EMTA HOC ÆRE
ÆNEAQVE LIBRA.

Verbo vno dixeris, mãcupio accepta, id est emta ciuiliter, & cum *auctoritate*, siue, *actione cum cui-*

ctione, vt est l. vlt. D. De euict. Sic mancipatio apud Plautum Persa Sc. XIV. XV. XIIX. Neque obstat idem Curcul. Sc. IX. Nam ibi Cocles ille fugit mancipationis & nexus remoram.

Libra cum raudusculo in omni contractu Romæ dominata est. Itaque Tullius epist. XV. lib. XIV. ad Att. tropicè. *raudusculum* dixit pro obsignatione testamenti per æs & libram. Qui locus ne rectè capitur à plebe interpretum. Dominiū libræ in contractibus, quia sæculo Xuirali, cum stipem siue æs graue adpenderent, opus libra, itaque & postmodo recepto iam vsu pecuniæ signatæ siue numeratæ, libræ tamen sua sibi dignitas seruata. Plin. c. III. lib. XXXIII. Forte an autem & alia posteris Xuirorū visio, cur libræ vsum in mancipationibus retentum vellent, nempe, quia libra semper habita insigne Iustitiæ contractuum Deæ. Sic enim & Orpheus hymno Iu-

ſtitiæ lances ei adpinxit, etiam apud Stobæum Serm. LI. Ad eaſque Iuſtitiæ Lances identidem luſitant ſcriptores, vt Leo A. Nouel LXVI. Perſius Sat. IV. Minucius Felix Octauio, Petilianus Collat. Cartagin. I. c. XXIX. Iuo Carnutenſ. epiſt. CCLXV.

RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO.

Emtor nēpe ferito rauduſculo ſiue ære rudi aut graui, idque emtori vt arram tradito. Caius Inſtitutis lib. I. apud Seuer Boët. lib. III. Comm. ad Top. Cic. Aliouorſum Corippus lib. II. *Et lancem pollice pulſant.*

Dixeris. At Theophilus §. Prçterea, Inſtitu. Quib. mod. ius patr. pot. libripendē cum aſſe ſiue nummo inducit. Πέντε, inquit, *παρεγένοντο μάρτυρες, καὶ ζυγοστάτης ἐπιφερόμενος ζυγὸν καὶ χαλκοῦν νοῦμμον. Quinq; teſtes preſen-*

tes erant, & libripens libram & nummum adferens aheneum. Facilè hoc diluo: Adtulit nummum libripens, ſed tenuit ac libram eo percuſſit, rem mancupio accipiens, ſiue emptor. Neque rectè interpretati ἐπιφερόμενος *tenens.* Nummum verò dixit Theophilus ritu poſtxuirali. Nam in lege quidem ipſa æs vel rauduſculum eſt. Poſteri nummum aſſemve dixere. Aliqui tamen & priſco ritu æris nomine vſi, vt à Varrone obſeruatum lib. IIX. de ling. lat. Atque ſic vſus Cicero in Topicis. A. Gellius. c. x. lib. XVI. Sueton. Augusto. c. LXIV.

De *rauduſculo* Varro IV. de Lingua Lat. Feſtus in Rodus, Idque in XII. Tabulis verbum fuiſſe cōiectura fieri poteſt ex ſerie narrationis T. Caij de mancipatione apud Boëtium.

Ex rauduſculi pro arris datione, fluxere in ius ciuile nummo, ſiue ſeſtertio, ſiue nummo vno

conductiones imaginariæ, siue dicis causa, ex nudo iure Quiritium, vt L. xlvi. Locati L. x. §. vlt. De adquir. possess. D. Et apud Valerium c. ii. lib. v. Et emtiones nummo vno familiæ siue hereditatis, vt apud Theophilum Institut. §. Accessit. De testament. §. Restituta. De fideicommiss. hered. Fabium Declam. ccciix. Et nummo vno emptiones bonorum, vt apud Ciceron. pro Rabir. Postumo. Et nummo vno venditiones imaginariæ, vt apud Victumium c. iv. lib. i. Et in veteri inscriptione L. Titurij Sabini. Mentio & apud Flaccum Sat. v. lib. ii. vbi & rationem Porphyrio adfert eiusmodi venditionis. Quippe illas nummo venditiones addictionesque iurisperitorum ingeniis excogitatas, ceu rimas per quas ex legibus effugium esset. Puta. Si cuius rei vetita esset donatio, non iam ea donaretur, sed nummo illi cui donatam velles, venderes. Quæ species

L. vlt. C. De donat. Aut si hereditas sacris adstricta esset, venderet illam fiducia interposita heres, seni capulari, Acherontico, & iam pæne in orci peculio: vt eo cis paucos menses an dies? mortuo, reciperetur, & possideretur iam vt emta res non vt legata aut relicta, eóq. nec sacris adstricta. Hi senes itaque coëmtionales quos Tullius pro Murena, *iurisconsultorum ingeniis interimendorum sacrorum causa repertos* ait. Eádem liquet cur delecti huic negocio senes, ne scilicet longa fiducia esset: perinde vt l. xv. D. De fideicom. libert. *Interest nonnunquam à sene potius manumitti, quàm à iuuene.* Præstatio enim minus longa operarum est.

Hinc Chrysalus seruus apud Plautum Bacchidibus Sc. Atridæ. hero suo marsupium exenterare instituens, argutatus est, venalem se habere ac vendere *senem* illum *coemtionalem*. Hoc vult *Crucisa-*

lus ille. Herum meum faciam ego vt tanquam ſenex coëmtionalis hodie ſit, quia vt ſeni coëmtionali hereditas non manet, ita nec hero meo pecunia manebit. Ineſt & alter iocus παρ' ὑπόνοιαν. Senex coëmtionalis emit hereditatem: at ego hunc ſenem coëmtionalem ipſum venalem habeo, & vendam profectò. Hinc & conuicium, ſenex coëmtionalis, pro falſo iuris alieni adſertore, vt apud T. Liuium fine lib. III. *Scaptius ſenex coemtionalis.* Scriptum ibi *concionalis.* Veriùs eſt coëmtionalis. Nempe vt per Senes coëmtionales fraus teſtatori fit, & hereditas ſine onere peruenit ad heredem: ſic per P. Scaptium illum, Aricinorum atque Ardeatium litigioſus ſiue ambiguus ager ad Quirites. Non diſſimilis fraus legi facta à C. Licinio Stolone filium emancipante. T. Liuius lib. VII.

Vſurpata vero & imaginaria ſiue ex nudo iure Quiritium pro-

ſcriptio aliqua bonorum in coëmtionibus illis imaginariis. Vt epiſt. XXIX. lib. VI. ad famil. *Mancipium venale inter ſenes coemtionales proſcribere.*

Venditiones autem illæ imaginariæ ſiue ex nudo Quiritium iure, nummo vno quaſi nullo aut minimo pretio. As enim ſiue nũmus pro minimo vt apud L. Senecam, *Seſtertio nummo æſtimare*, id eſt, minimo, epiſt. xcv. Et Papinium Silua vlt. lib. IV.

Emtum plus minus aſſe Caiano.

Id eſt, vili. Et aſſem Caianum accipe nõ rauduſculum vt aliqui, ſed aſſem ita dictum à nomine Caiæ, quod Caia ſiue mulier nubens Caium ſiue virum aſſe ſibi emebat, emtione ſcilicet imaginaria. Marcellus in *Nubentes.*

XV.

SEx. Pompeius prodidit in *Nuncupata*.

QVVM NEXVM FACIET MANCVPIV'MQVE.

Traditionem nexu Tullius dixit Top. ad Trebat. *Nexum* ad libræ pensa refer : *mancupium* ad traditionem. Itaque non absque differitate est παραγραφὴ Xuiralis.

Hinc hodiéque in iure ciuili subinde *nexus* pro obligatione. Vt l. xxvi. D. De cond. ind. §. Adeo. *Debitorem nexu venditi liberare*. l. vlt. De dot. promiss. l. vlt. Si res al. pign. data sit. C. Et *nexus* pro libræ penso, confirmante vsucapionẽ soli Italici l. vn. C. De vsuc. transformanda. Ait lex. Non tantùm in Italico solo nexu, sed in

omni orbe terrarum, &c. Lege. Non tantùm in Italico ſolo, nexu, ſed in omni orbe terrarum, &c. Magna illis caligo fuit, quibus viſum delere vocem, *nexu*. Nam benè Tribunianus agens de iure antiquo, ita diſtinguit ſoli Italici vſucapionem, ab vſucapione ſoli prouincialis. Italica vſucapio nexu eguit ſiue libræ penſis, prouincialis vſucapio non item. Nexus nempe quaſi forma perfectioque vſucapionis Italicæ. Expleto enim vſucapionis tempore, vſucaptor ex iure Quiritium, adhibito libripende ac teſtibus rem illam ex iure Quiritium ſuam eſſe aiebat. In ſolo autẽ prouinciali, nexu nihil opus, & tempore præfinito lege Xuirali, perficiebatur vſucapio. Magis itaque ciuilis vſucapio Italica, ex mero nempe iure Quiritium: prouincialis legitima tantùm ſiue; eò tantum ciuilis quia præſcripta iure ciuili, ſiue lege XII. Tabularum de qua nobis infra eſt

caput xl. Hinc itaque Aggenus Vrbicus lib. II. de limitibus. *Stipendiarij*, inquit, agri *nexu non habentur, sed mancipatio eorum legitima esse potest, &c.* Hinc & discrimen illud l. I. C. De annali except. alios esse Italicos contractus, alios prouinciales. Sed plura iam mihi operæ non est. Planè quidem frustra d.l. VII. vt Comment. ad l. VII. c. deleuere aliquí vocem nexu aut transposuêre. Nexum autem pro libræ pensis accipi nota res.

De nexu Terent. Varro VI. de Ling. Lat. Tullius III. de orat. Plin. c. III. lib. XXXIII. Festus in *Nexus*.

Notabilis autem alterplex traditio. Vna ex iure Quiritium, siue traditio nexu: altera iuris gentium traditio sine nexu. Illa *rerum mancipi*: hæc *rerum nec mancipi.* Vlpian. Regul. Tit. XIX.

Hodie nulla interstitio rerum mancipi & nec mancipi l. vn. c. De vsuc. transf. §. Per traditionem

Institut. De rer. diuis. Sic enim cape ibi verbum illud Tribuniani. *Cuiuscunque generis.* Quanquam vestigium discriminis antiqui exstat l. Qua ratione §. Hæ quoque res D. De adqui. rer. dom.

Hodie itaque omnis traditio naturalis, nuda exordinaria, simplex. Ritéque. d. §. Per traditionem, traditio definitur à Theophilo, Ἀπὸ χειρὸς, εἰς χεῖρας μετάθεσις εὐαπάλλακτος, καὶ ἀπερίεργος, καὶ φυσικὴν τὴν πρᾶξιν ἔχουσα. *De manu in manum translatio facilis, & nihil superuacui habens, & actu naturali.* Vt si diceret, exordinariam, & sine formulis.

Vellicāt hanc definitionē Obseruatio XIX. lib. XI. & ait. Posse rē de manu in manū tradi animo alienādi, & facile & nō superfluēter, & naturaliter, neque tamen esse traditionē. Quippe. Si euīci ea res potest. Huic diceret Theophilus. Μετάθεσιν siue tralationem dico non corporis tantùm (frigida

iſtiuſmodi cauilla eſt) ſed corporis cum iure, ſiue corporis cum intellectu iuris vt l. Cogi. §. Inde quæritur. D. Ad Trebell. & viceuerſa hereditas ſine vllo corpore iuris intellectum habens. l. L. §. 1. D. De hered. pet. Neq. ijdem r. cte l. III. §. 1. D. De actionib. emti reſcribũt obſeru. xxxv. lib XIII. *Datio poſſeſſionis*, magis eſt vt ſcripſerit Pomponius *Traditio poſſeſſionis*. Tradit poſſeſſionem qui alienat: dat etiam Prætor.

VTI LINGVA NVNCVPASIT.

Interpretatus hoc Verrius, *ita vti nominarit, locutuſue erit.*

ITA IVS ESTO.

Ex Tullij III. de offic. caput hoc legis explere volenti, occaſio eſt. *Sei infitiat, duplionem ſubeito*. Ait Cicer. *Nam cum ex* XII. *Tabulis*

ſatis eſſet ea praſtari, qua eſſent LINGVA NVNCVPATA, *qua qui inſitiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret* &c. Priſco ſermone, *inficiat*, aut *infitetur*. Gloſſæ vet. Feſtus.

Antiquo iure nulla venditori pœna reticētiæ, Tullius loco prædicto: veſtigiáq; iuris huiuſce antiqui aliqua & hodie, vt l. 1. §. 11. De act. emti. l. 1. §. 1. De ædil. ed. D.

X V I.

NExum mancupiúmq. ſiue traditionem nexu ſequi debet pretij numeratio, aut ſatisfactio, vt res alienetur. Hoc in XII. Tabulis caput fuiſſe teſtis locuples Iuſtin. Inſtitutis §. Venditæ. De rer. diuiſ. Fidem itáque ſine ſatisfactione, ſiue cæcā, Xuiri excluſere. Ex eoq. iure Varro c. 11. lib. 11. De re ruſt. *Et ſi*, inquit, *ouium mancipatio facta ſit, tamē grex dominum non mutauit, niſi ſit as ad-*

numeratum. Et Fabius Declam. CCCXXXVI. *Quo iure vindicare potes eam rem, cuius pretium non dedisti?* Eadem & Charondæ, Thuriarum legum patri, mens apud Stobæum Serm. cxlv. Idem & Platoni ſenſus, legum lib. xi. Ne rectè obſeruatio xix. lib. xi. idem placuiſſe Theophraſto. Iure quidem hodierno creditor emtoris fidem rectè ſequitur, & fides data acceptáque pro ſatisfactione eſt, l. I. De rer. perm. l. II. De act. emti. D. Itaque & d. §. Venditæ. ſcripſerat forte an Tribunianus. *Sed & ſi is qui vendidit.* &c. nempe vt notaret quaſi aquiuergium hoc, iuris antiqui & noui.

XVII.

IVlius Paullus Sententiarũ lib. II. Tit. De depoſito, in comparatione legis Moſaicæ. Tit. x. *Ex cauſa,* inquit, *depoſiti lege* XII. *Ta-*

bular. in duplum actio datur, edicto Prætoris, in simplum. Duplum accipe duplos siue maiores fructus si prædium est, vsuram si pecunia. Idem lib. II. Sentent. Tit. XII. §. II. Indicium huiusce iuris est §. omnes & §. Sed forte. Institut. De act.

Putant & à Paullo iterum tangi hoc ius Sentent. Tit. XXI. lib. I. Nam sic legunt. *Velut iudicati, depensi*, &c. Sed verius *depensi* vocem à Paullo non esse, vt neque Anianus agnoscit. Nec refert actionem depositi esse in duplum. Nec enim Paullus omnes sortis huiusce actiones memorare voluit, vt vel cæcus perspexerit. Et cur noluerit alia nobis dicendi meta.

Benè autem depensi actio, cur in duplum esse potuerit liquet ratione quæ de deposito est, apud Aristotelem siue is Alexãder Trallianus est Problem. II. & VI. lib. XXVI.

Actio autẽ depositi riuulus ex iure Attico. Nam sic Athenis

δίκη περὶ καταθήκης. Iul. Pollux c. I. lib. IIX.

XIIX.

EX mancipatione debitum siue æs alienum, hinc addictio, manus iniectio, nexus. De his hoc legis caput profert A. Gellius totum c. I. lib. XX. partem verò & c. XIII. lib. XV.

ÆRIS CONFESI.

Quid *æs confessum* interpretatus A. Gellius c. XIII. lib. XV.

Ex æris confessione reus pro iudicato est. Eaque regula iuris, vt l. I. & l. VI. §. I. De confess. l. LVI. De re iud. D. l. vn. De confess. l. IV. De repud. hered. C. Et apud Paull. Sentent. Tit. V. lib. V. ἀπερισκέπτως ad d. l. IV. confessum interpretati, qui confitetur delictum. Nec enim ad delicti sed debiti con

fessionem, regula illa propriè facit Neque semper in crimine, confessus pro iudicato est, vt patet l.v. De custod. & exhib. reor. l.1.§. Si quis vltro. De question. D.

XXX. DIES IVSTI SVNTO.

Quare hi triginta dies, iusti nominati, A. Gellius tradit c.1.lib. xx. vbi quod est *inter eos*, lege, *inter reos*.

Tralatitij autem hi triginta iusti dies ex re militari. Iusti nempe dies xxx. præliares. De his Festus in *Iusti*. Macrob. Saturn. c. xvi. lib.1.

Iucunda x. illis viris verba militiæ, quippe in legislatione ad Quirites populum Martium. Et quidem res geminæ germanæ iudicium & prælium, aut pugna. Iuuenal. Sat. vlt.

----*Lètaque fori pugnamus arena.*

Eleganter in Epicteti altercatione.

ne. *Quid est forum? Templum libertatis. Arena litigantium.* Sic *confligentes* pro reis. L. penult. C. Ad L. Cornel. de fals. Et apud Ciceronem pro Cæcina. *Actione confligere.* Sic *induciæ* identidem pro dilatione reis concessa, & tanquam sufflamine.

Hoc itaque legis capite, reo induciæ dierum xxx. sed hæ postmodò bimestres, vt l. vn. C. Theodos. De vsur. rei iud. Etiam quadrimestres vt l. 11. C. eod.

POSTDEINDE.

Forte an in Xuirorum lingua fuit *Postidea.*

IN IVS DVCITO.

Narrat Cæcilius apud A. Gellium c. 1. lib. xx. Tangit & Tullius pro Valerio.

AVT QVIPS ENDO EO IN IVRE vindicit.

Vt A. Gellius c. IX. lib. XX. *In ea re optimis verbis vindicare.*

Vindicit autem vindicet, vt *verberit*, pro verberet, in lege Romuli apud Festum, *Plorare.*

SECVM DVCITO.

Addicti ducebantur à creditore domum, in carcerem priuatum, vt apud Plaut. Bacchid. Sc. vlt. Menæhm. Sc. I. Terent. Phor. Act. II. Sc. II. Cic. II. de orat. T. Liuium lib. VI.

Ijdem ante iudicati, siue damnati, post addicti. Itaque duci dicuntur, & iudicati, & addicti, vt locis prænotatis: & iunctim iudicati & addicti, vt apud T. Liuium lib. VI. *Iudicatum addictúmve duci.* Planiùs, *Iudicatum addictúm-*

que duci. Vt post paullò, *indicatos addictósque duci.*
Tales Athenis olim, anteriùs lege Solonis ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσι. *Nexi feneratoribus.* Plutarch. in Solone.

VINCITO AVT NERVO.

Neruus colli, vinculum ferreum. χλοιὸς σιδηροῦς. Eusebio Eccles. hist. c. xxxix. lib. vi. Itaque Plautus apud Festum, in *Neruum*, dixit, *Neruo ceruices probas*, idest, Neruo dignas, aut conuenientes, Plautus idem Curcul. Sc. vlt.

Atque ita te neruo torquebo, itidem vt catapultæ solent.

Hoc minatur stratioticus ille, fore vt ille in neruo, cum collo erit torto, specie sit catapultæ, cuius intentæ brachium, ita inflexum est, vt sit specie arcus, quemadmodum cernere in catapultarum picturis licet. De brachio au-

tem catapultæ Victruuius c. xv. lib.x.

Propriatim itaque parasitus Captiuis Plautina Sc. xi. cubitum suum catapultæ similem fecit.

Nam meu'st ballista pugnus, cubitus catapulta est meus.

Meliùs sic interpres Papinij ad iv. Thebaidem, quàm Marcellus in *catapulta.*

--- *Cubitus catapulta est mihi.*

Sed & interpres Papinij peruersè legit.

Nam meu'st ballista cubitus, pugnus catapulta'st meus.

Non enim pugno catapulta sed cubito, neque cubito ballista sed pugno similis, qui brachio tanquam telum iacitur, vt patet historia vtriusque tormenti. Neque rectè Marcellus catapultam interpretatus est, *iaculum celer, vel sagittam.* Curculionis Plautinæ locus quem profert ei aduersissimus est, vt & alter ille quem dixi

de Captiuis. Neque facit ei Titinnius Setinâ. Ibi enim catapulta volat figuratè, vt si volare arcum dixeris.

Nollem & alijs vsuuenisse vt scriberent, versu illo de Captiuis Plautina, cubitum parasiti cum telo catapultæ conferri. Non est telo cubitus similis, sed brachio catapultæ. Brachium parasiti intentum siue Plautinè dixero, ansatum, quasi catapultæ Brachium est aptum propellendis hominibus de via. Itaque *cubitum* dixit, non brachium.

Qui neruus, idem & canis olim vt Plautinæ Curcul. Sc. vlt. Neruus, *catulus ferreus* vt & Polybio σκύλαξ σιδηροῦς Legat. XIII. Et Platoni comico σκύλαξ apud Iul. Pollucem c. XXXIX. lib. X. Et Polluci σκύλαξ, δεσμὸς σιδηροῦς. Sic capiendus Festus cum ait. *Catulus quoddam genus vinculi, qui interdum canis adpellatur.* Simul vero interdum aliqui & in neruo

& furciferi Plaut. Casina Sc.vii.

Taceo, Deos quaso vt quidem hodie tu canem & furcam feras.

Neque furcam neruo impeditam dixeris, cognita furcæ historia. Vt neque catulo siue neruo impeditum collare: Lucil. apud Marcell. in *Collare*.

Cum manicis, catulo, collarique vt fugitiuum Deportem.----------

Neque aptè obseruatio xxii. lib. xi. Plauti loco illo, de cane cogitauit animali, aut Guntheri narrationem de gestatione canis adtulit conueniēter ex Ligurini lib. v. Neque alij cautè, non discernentes *furcam & patibulum*: *furciferum* & *patibulatum*. Vt neque pictura furcæ vera est, quam exprimit obseru. i. lib. xvi. Quam & frustra retulere postmodo alij. Depingit furcam suo penicillo Dionysius lib. vii. præ cuius descriptione, quamuis tabellam contemseris. Neque intellegenter in descriptione illa χαρπους volas ver-

tere. Proprium fuisset, *Internodia*. Vt glossæ veteres. χαρπὸς χείρός, *Internodium*. Ac neque ijdē rectè arbitrati furcam, τρίκρανον siue tricipitem aut trifurcam pingi à Dionysio.

Nugalia & illa Marcelli. Catellum esse ὑποκορισμὸν à *Catena*. ex Græco enim σκύλαξ Latinis *Catulus* & *Canis* vt Festo, & *Catellus* Plauto.

Sed in hoc decursu obex à Festo qui *neruum esse* ait *vinculum ferreum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam ceruices vinciri dixerit.* Viceuersa propriè Plautus, Verrius autem ille tralatitiè. Communiter enim, *neruus vinculum ferreum quo pedes vel ceruices impediuntur*, vt notat Isidor. c.xxvii.lib.v. Atq; ita *crus de periscelio in neruū* Tertyllianus dixit libro de cultu feminar. Idemque libro ad martyres. *Nihil crus sentit in neruo, cum animus in cælo est* D. Cyprianus epist. xxxiv. *Per decem*

& nouem dies custodia carceris septus, in neruo ac ferro fuit & mox. *& quamuis ligati neruo pedes essent.*

Non ferreus autem modo neruus sed & ligneus, vt Glossæ vet. Neruum interpretatæ ξυλοπέδην. ritu nempe Attico. vt ἐγκαλοσκελεῖς apud Hesychium, & ποδοκάκη & ποδοστράβη quam depingit Vlpianus in orationem Demosth. contra Timocratem, & interpres Aristoph. ad Equites. Huiusmodi neruum ligneum & Prudentius pingit Hymno v. περὶ στεφανῶν.

Alia à neruo ligneo est *Lignea custodia* Plauti Patruo. Sc. vlt. nẽpe quẽ Plautus idem Curcul Sc. vlt. *Robustum carcerem* dixit, & *Arcam robustam* Festus in *Robum.* Peccat non distinguens obseruatio XXXVII. lib. XI. vt neque rectè κακουχίαν esse vult quæ iuris auctoribus mala mansio. vt l. VII. §. I. Depos. l. XV. §. Quæstionem. De iniur. D. Atqui κακουχία nihil

aliud, quàm carceris malitas. Itaque Cedrenus in Basilio, τῆς καθείρξεως, inquit, κακουχία. Et mox eodem significatu. τῆς φυλακῆς ἀηδία. At mala mansio est tormentum quo reus manus ac pedes vinctus extenditur. vt d. l. vii. *Ad malam mansionem extensus.*

AVT COMPEDIBVS.

Duriùs in neruo: leuiusculè in compedibus. Itaque optio à Xuiris data creditori. Sic neruum & compedes iunxit M. Cato apud A. Gellium. c. vlt. lib. xi. *Fures priuatorũ furtorum in neruo atque in cõpedibus atatẽ agere, fures publicos in auro atque in purpura.* Connexũ ibi pro disiũcto. *In neruo aut in cõpedibus*, arbitratu eius qui dominus rei furtiuæ, & furunculũ domi nexum habet. Quippe in seruitutem sibi datum lege Xuirali. A. Gell. c. i. lib. xx.

Forte an autem & cõtra Xuirorum legem aliqui neruo simul &

compedibus habuere vinctos. Iique quadrupedes vt apud Terent. Andr. Act.v. Sc.II. nempe vt in numella quadrupedes. Numella autem *solita fieri neruo aut corio crudo bouis*, Festus. Hinc fors sit an & nomen neruo ferreo. Sic & Athenis χύφων. De quo interpres Aristophanis ad Plutum.

In neruo aut in compedibus rei cum essent, tum propriè vocati *Nexi* vt ante c. IX. *Nexo solutóque*. Et apud T. Liuium lib. II. & IIX. vbi & *Nexu vincti*. Et lib. VII. Nexus pro neruo. *Nexum inire*.

XV PONDO, NE MAIORE.

Ne sint vt filiolæ regis Ludouici XI. apud Philippum Cominæum. c. XXXVI. Aut quales plombei globi vægrandes, quibus onerati pedes Aristophanis rei apud Libanium orat. pro Aristophane. Ἀχθεῖν δὲ μικρὸν μὲν ἠπιάθη χεν-

σίον, ἔλαβε δὲ οὐδὲ τόδε, πληγὰς μέν τοι πολλὰς καὶ χαλεπὰς, καὶ πανταχοῦ τῆς γῆς, τὰς ἐκ μολίβδου σφαίραις, ἃς ἡγήσατο παῦλος εἰς θάνατον ἀρκέσειν. Sed puto Libanij manus fuit, καὶ πανταχοῦ τῆς γῆς τὰς ἐκ μολίβδου σφαίρας, &c. Dixeris Latinè. *Incusatus autem parum quiddam auri accepisse, ne illud quidem accepit, immo enim plagas multas & asperas, & quas vbique gentium circumferret sphæras plumbeas, quas quidem Paullus ei ad mortem satis valituras putauit,&c.* Paullus verò ille est, omni diritate atque immanitate teterrimus, Imperatoris Constantij Sycophanta & quadruplator, cognomento *Canis*, de quo sic Amm. Marcellin. lib. xv. *Inter quos,* (nempe Constantij delatores) *facilè Paulus & Mercurius eminebant, hic origine Persa, ille natus in Dacia: notarius hic, ille minister tricliniј rationalis. Et Paulo quidem, vt relatum est supra, Catena*

inditum est cognomentum, eò quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis. Et mox. *Mercurius solenniorum appellatus comes, quod vt clam mordet canis interno vitio summissus, agitans caudam, &c.* Melius alij. *Mercurius comes solemnorum appellatus canis, &c.*

NEI SVO VIVIT.

Hoc legis verbum, *Viuere* interpretatus Caius lib. II. ad L. XII. Tab. vt patet inscriptione legis CCXXXIV. §. III. De verb. sign. Sed auctores iuris extendêre hanc vocem, vt patet d. l. CCXXXIV. Et l. XLIII. & secu. §. II. Eod.

LIBRAS FARIS.

Nexus egens, alendus à domino. Modus alimenti, *Libra faris in dies.*

Far pro farrea pulte militari-

ter & antiquè. Plin. c. IIX. lib. XIIX. *Pulte non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum est.* Valerius c. v. lib. II. *Apud maiores nostros, frequentior pultis, quam panis vsus.* Sic & de prisco victu Iuuenal. Sat. XIV.

--- *Grandes fumabant pultibus ollæ.*

Ergo & panifici pistores incogniti Quiritibus olim. soliq. in vsu ij qui farinam pinserent. Eaq. de re. M. Varro apud Marcellum in *Pinsere*.

Sic & T. Liuij lib. IV. in narratione de Sp. Melio, faris libras non frumenti sed pultis rectè acceperis. Vt & lib. v. in M. Manlio *selibras faris*. Et lib. sequente. Vtrobique selibra farris, selibra pultis, qui *cibus militis coctus* eidem, lib. III. anno CCXCV. Itaque & lib. IV. *cibóque obijciendo*, est, pulte farrea. Hinc & Romani, *pultifagi Barbari* prologo Patrui Plautinæ, & Phasmate Sc. IIX. Frustra ibi de

Carthaginienſibus intellexêre.

Priſcum illum pultis ritum militarem referre Iulianus Cæſar voluit. Ammian. Marcellin. lib. xxv. *Sed ſub columellis tabernaculi parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario, &c.* Elucus moleſtus Obſeruationi xxII. lib. xI. quæ *faris libras* iure Xuirali accipit *libras panis*, Et alia huic erratio, *farreum panem* accipienti pro alio pane quàm mola ſalſa, Vlpiani Regul. Tit. x.

Far autem pro pulte farrea. Nam puls eſt farina cocta cum aqua & ſale, interdum & lacte. Galenus c. vI. De adtenuante diæta. Valerius ibidem, & Feſtus. Far autem farina vt & Varroni c. v. lib. III. De re ruſt. Iun. Columellæ c. Iv. v. & xI. lib. IIx.

Poſtmodo autem far & pro pane vſurpatum, vt Flacco Sat. v. lib. I. Iuuenali. Sat. v. Et farina pro pane vt Pers. Sat. III. vbi &

obseruatum hoc à Cornuto.

IN DIES DATO.

Seruorum victus diurnus *libra faris*. Horat. Sat. v. lib. I. Titinnius Gemina apud Marcell. in *Comest*. --------- *Libram aiebant satis Esse ambobus faris nutrire, plus comest Sola vxor.* --------- *Satis ambobus nutrire*, τρέφειν ἀμφοτέρους, siue εἰς τροφὰς ἑκατέροις, Aliqui tamen, *faris intritæ*.

Vt seruis diarium *libra faris*, ita & nexis. Nexi enim & si non serui propriatim: at in seruitute illi tamen. Fabius c. x. lib. III. c. III. lib. VII. Conuenienterq. seruos & addictos iunxit Curius Fortunatianus principio lib. II. *Conditione* inquit *Vt seruus, addictus. Conditione*, scilicet seruili, Sequitur enim. *Conditione alia quæ ad liberos spectat vt nupta, adoptiuus, abdicatus.*

Hic itaque victus, quia in dies

præbetur, eſt *diarium*. vt Horatio epiſt. xiv. & Petronio. Et in gloſſario vetere. L. Senecæ eſt *Diurnũ* epiſt.xxc. Et quia ſeruis præbētur, hæc *alimenta ſeruilia*, apud Salluſt. in concione M. Lepidi Hiſtoriar. I.

Quod autem l.vii.C.De cuſtod. reor. Cuſtodiis *duæ libellæ aut tres diurnæ*, id laxamentum principale, nihil faciens ad Xuiros, nihilo magis quam alia eiuſdem modi l.i.C. Theod.Eod.

TERTIIS NVNDINIS PARTES SECANTO.

Nexi anterius hac legis latione, ij in perpetuo carcere priuato: lex Xuiralis poſt inducias dierum xxx. tertijs nundinis. ſiue poſt inducias illas tertio nũdinarũ die partes ſecare creditorib⁹ permiſit, ſi multi eſſent, aut ſi mauellẽt, peregrè ſiue in hoſtico trans Tiberim venum dare, aut ſi vnus creditor eſſet, ne-

care. A. Gellius c. I. lib. xx. Fab. Quinctil. c. VI. lib. VII. Sic illud Euclionis Plautinæ cape. Sc. XXVII.

At ego Deos credo voluisse, vt apud te me in neruo enecem.

Relege------ *vt apud me te in neruo enicem.* Te nempe, vt *furem Thesaurarium.* Nam & hoc verbũ Euclionium Sc. x.

Neque autem otiosa ἐπίτασις *trans Tiberim peregrè.* Nam aliqua iam tunc trans Tiberim, & non peregrè, vt *prata Mutia* & *Veiens ager*, apud T. Liuium lib. II *Prata Quinctia* apud eundem lib. III.

Simile autem ius Athenis ante Solonem. Vt apud Plutarch. in Solone. Αγώγιμοι, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύοντες, οἱ δ' αὖ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι. *Nexorum, alij ibidem siue in patria seruientes: alij in hostico venum dati.*

Sustulit venditionem illam Solo. Plutarchus loco prædicto. Et lib. De fenore. Sustulêre & Romæ Coss. C. Pœtilius, L. Papirius Mu-

gillanus anno vrbis CDXXVII. T. Liuius lib. IIX.

Priuati quidem carceres etiam post viguere. Itaque iure hodierno vetiti vt l. I. C. De priuat. carcer. inhib. Et tamen vestigium priuati carceris sæculo Iustiniani apud D. Gregor. epist. XCIV. lib. II.

Sed & iam olim tamen priuati carceris effugium obæratis, bonorum cessio. De qua lex lata Sulla dictatore apud Varronem fine VI. de Ling. Lat. Qui locus rectè habebit. *Ne ducerentur nexi in seruitutem: & omnes qui bonam copiam eiurarent, ne essent nexi.* Atque idẽ lege Iulia beneficiũ l. IV. C. qui bon. ced. poss. & Rubr. C. Theod. Qui bon. ex lege Iulia ced. poss.

Ac corporis quidem obærati sectio nunquam vsurpata Romæ A. Gellius c. I. lib. XX. Fabius c. VI. lib. VII. Tertyllian⁹ Apologet c. IV.

Permisere illam Xuiri nexorũ in partes sectionem, quippe tanquam, in seruos. Multa liberorum

est, pœna seruorum. Eleganter Demosth. contra Timocratem. Τοῖς δούλοις τὸ σῶμα τῶν ἀδικημάτων ἁπάντων ὑπεύθυνόν ἐστι· τοῖς δ' ἐλευθέροις ὕστατον, &c. *Seruis omniũ delictorũ pœnæ in corpore expetũt: ingenuis autẽ pœna corporis postrema est.* Sic l. VII. §. In seruos. De iurisdict. l. XVII. §. Cum seruum & deinceps. De iniur. D.

XIX.

DVcitur addictus, extra quàm si quis ei vindex siue sponsor in iure: aut extra ius vindex, amicus ferentarius, siue rem soluens pro reo. Cuiusmodi vindex M. Manlius centurioni nexo apud T. Liuium lib. VI. De prioris modi vindice, hoc legis caput est.

ASIDVO VINDEX.

Profert Tullius Top. A. Gel-

lius c. x. lib. xvi. Et interpretatus olim hoc legis caput T. Caius lib.ii. ad legem xii.Tab.vt patet l. ccxxxiv. De verb.ſign.

Aſſidui in lege vindices, qui locupletes. Caius d. l. ccxxxiv. Tullius & A. Gellius locis antedi-ctis. Terent. Varro apud Marcell. in *Proletarij*. *Quibus*, inquit, ***erant pecuniæ ſatis, locupletes, aſſiduos: contrarios proletarios.*** Superfluens illud, *locupletes*, Idem. ***Aſſiduo neminem vindicem voluerunt, niſi locupletem.*** Tangit hoc interpretamentum & Fabius c.x. lib. v.

Ijdem verò & *iuſti vades*. Feſtus. ***Iuſtum vadem, idoneum ſponſorem.***

Cur eiuſmodi ſponſor, dictus in lege vindex, patet apud Feſtum in *Vindex*. Dixeris tamen explanatiùs. Vindicem illum eſſe Xuiris, quia Vindicat à nexu & ſeruitute. Sic capite legis ſuperiore. ***Aut quips endo eo in iure vindicit.***

Boëtius ne rectè ad Topica, vindicem accepit procuratorem. Addicto itaque vindex idem & sponsor: in causa vero liberali vindex siue adsertor sponsores dabat, vt in causa Virginiæ apud T. Liuium lib.III.

CVI CVI VOLET.

Pro quiqui, siue quicúnque Terent. Scaur. & Victorin. Afer. Orthograph.

Quiuis proletario rectè vindex. Nam si proletarius, par pari est, si locuples, melior deteriori, est.

Proletarij ciues illi quidem sed classis nullius vt dixi c. v. Arnob. lib.II. *Desinito hominem proletarius cùm sit, classibus: & capite cùm censeatur, adscribere ordinibus primis.*

Vt assidui & proletarij in lege oppositi, sic cõstitutionibus principum discreti *homines imperij* si-

ue *possessores*, & *homines tantùm*, vt rescripto D. Hadriani l. VII. §.III. & seq. D. De bon.damn. Qui textus non facillimus est, ego illum breui hac digressiuncula explico. Regula iuris est. Liberis damnatorum ex bonis portiones non vniuersitatem dari, d. l. VII. §.I. Sed hoc ita ius si liberi pauci, puta, filius vnus filiáue: sin plures bona vniuersa siue vniuersitatem accipiunt ex rescripto Hadriani d. l. VII. §.IV. Ratio autem rescripti est. *Quia*, inquit, *malo imperium ampliari adiectione hominum, quàm pecuniarum copia.* Obscura illa & quasi ratione opus habens, ratio est. Nam si liberi multi portiones acciperent, anne iccirco minus imperium ampliaretur hominibus, quàm si acciperent vniuersa? Hercle verò. Nam portiones illæ dantur ex bonis minutatim ac spissè, tantùm vt mendicitati depellendæ satis sint, d. l. VII. §. I. Tales autem portionarij, proprie

imperij homines non sunt, aut possessores. Etenim qui homines imperij siue Reipublicæ? Assidui siue locupletes, qui Reipubl. onera ferre, eamque iuuare possunt. Homines quidem ergo illi portionarij, sed non imperij homines, non locupletes, & Reip. vtiles. Reipublicæ, hoc est, principi & imperio, cui *expedit ne sua re quis male vtatur*. §.11. Instit. De his qui sui vel al. iur. Hoc est, cui expedit ciues habere locupletes. Atque ita Proem. Nouel. IIX. ἥτε βασιλεία, τό, τε δημόσιον εὐθηνήσει χρωμένη ὑπηκόοις εὐπόροις. *Et imperium & fiscus rectè habebit, vtens ciuibus qui locupletes sint.* Neque dissimiliter Theodos. & Valentin. A. A. Nouel. De indulgent. reliquor. *Nobis*, inquiunt, *perit deterior possessor effectus, nobis profuit non grauatus*. Ecce possessores sunt, qui prosunt imperio. Hæc itaque causa cur Hadrianus etiam contra fiscum fauet ho-

minib. imperij, siue possessoribus, siue adsiduis, *eorumque adiectione imperium ampliari* cupit, & condemnatorum liberis concedit vniuersa si multi, ne multi sint egentes, siue multa mendicabula, sed multi possessores.

Dixeris, si vnus acciperet vniuersa, vnus ille pro multis esset. Respondet Hadrianus: Sed bona illa *manifestabunt* siue ostendent *tot possessores*, quot liberi. *Manifestabunt*, videlicet facta dissortione. Et signanter dixit, manifestabunt, referens se cogitatione ad imperij gloriam quæ crescit. *adiectione hominum*, id est, possessorum, non autem multitudine portionariorum.

X X.

DE vſucapione & vſurpatione vxoris, caput fuiſſe in XII. teſtis A. Gellius c. II. lib. III. Macrob. Saturn. c. III. lib. I.

Vxor quæ vſucapitur, Ciceroni Top. ad Trebat. eſt, *vxor tantum*, Vxor nempe quæ neque coemtione, neque confarreatione, ſiue pane farreo, aut mola ſalſa: ſed vnius anni vertentis vſucapione vxor fit, hæc nempe vxor tantum eſt antequam vſucapta ſit. Flexit cogitationem ad hunc vſucapiendæ vxoris ritum Plaut. Amphitr. Sc. XI. Alcumenam vocans Iouis *vxorem vſurariam*. Sed illi fruſtra qui huc legis *Iulia Miſcella* condicionem torſere, & vim fecere in articulo *tantum*. ex l. II. c. De ind. vidu. Conditio illa eſt. Non ſi vxor *tantum*. ſiue vxor vſu: ſed ſi liberorum quærendorum cauſa: & liberi ſi ex

eo matrimonio exstiterint, cessare pœnam &c. Peracta vsucapione vxor illa *mater familias*: ante vsucapionis finem, *vxor* tantum siue matrona. A. Gellius c. VI. lib. XIIX. Seru. ad illud. I. Georg.

Teque sibi generum Tetys emat. --- Peccat obseruatio XIIX. lib. III. quæ contra hoc A. Gellij matronæ & matris-familias discrimen venit.

Hinc itaque claret, cur Tullius pro Valerio dixerit. In manum viri vxores cõuenire, siue matresfamilias fieri, aut vsu aut coemtione. Omittit conferreationem, quia flaminiarum propria illa.

Vxor vero illa prius quàm vsucapta esset, vsurpari à suo sibi tutore potuit, siue abduci à viro interrupta vsucapione. A. Gellius. Et Macrobius locis antedictis. Sic illud M. Tullij cape in Valeriana. *Nihil potest de tutela legitima, sine omnium tutorum auctoritate deminui.* Vt si diceret. Non potest vsu-

capi mulier sine omnium tutorum auctoritate. Dissensu enim tutorũ vsucapio interrumpitur. Vxores videlicet necdum vsucaptæ, in viri sui potestate non erant, sed aut tutoris vt dixi, aut patris si emancipata non esset. Vestigium huiusce iuris est l. v. de Donat. int. vir. & vx. l. III. de bon quæ lib. l. v. de condi. insertis l. XII. de collat. l. VII. de nupt. C. §. Sed hæc. Instit de Senat. Tertyl. Sed Tribunianico iure omnes vxores matresfamilias, quo modo igitur aliquę in potestate sui patris? Planè ἀπεριοσκέπτως Tribunianus, leges antedictas & id genus alias, interpolare oblitus est.

Neque tamen illa *vxor tantum*: siue necdum vsucapta, viro illi cõcubina: sed matrona, siue animi destinatione ac spe mater familias Concubina neque re vnquam mater-familias, neque animi destinatione, siue spe. Sic cape *animi destinationem* l. penult. D. De Con-

cub. Et *dilectum*, apud Paullum Sentent. Tit. xx. lib. II. Itaque & opponitur Concubinæ mater familias l. I. §. I. D. eod. Cuius & §. principio legendum ἐρωτηματικῶς. Aut in concubinatum dare? Quod si peruisum nuperis glossulariis, non opposuissent l. patrono D. De diuort. Vsuariam eiusmodi vxorem suspicati aliqui esse quæ dicitur iniusta vxor. l. XIII. §. I. D. Ad d. Iul. de adult. Alij verò concubinam, alij eam quæ vxor esse non potest. Sed hos refellit obseruatio v. lib. III. Ipsa vero censet iniustam ibi vxorem esse cum qua contractæ quidem aduersus regulas iuris nuptiæ, sed quas publica nuptiarum vtilitas rescindi non patitur, vt si duxerit filiusfamilias vxorem sine consensu patris. Paullus Sentent. Tit. XIX. lib. II. Qualis & furiosi vxor apud eundem, & l. XVI. D. De nupt. Confirmari hoc videtur & Homeri versu quem d. l. XIII. §. I. Sex. Cæcilius

profert ex Iliade IX. vbi Achilles Helenam Menelai, & Briſeidem ſuam vocat ἀλόχους ſiue vxores, etſi Briſeis quidem ancilla, & cum qua iure ciuili matrimonium eſſet, connubium quidem non eſſet. Differunt itaque vxor iuſta & iniuſta vt connubium & matrimonium. Et illa Briſeis Achilli quidem ἄλοχος, ſed non, vt ipſe mox diſtinguit, μνηστὴ ἄλοχος.

XXI.

DE bonorum inter coniuges communione, iunctim tuliſſe Xuires cum capite legis de patria poteſtate, indicio eſt lex Numæ, iunctim de vtráque re agens apud Dionyſium lib. II. *Si pater filio poteſtatem fecerit ducendi vxorem ſociam ſacrorum & familiæ legitimam, poſtdeinde nullam patri poteſtatem eſſe vendendi hunc filium.*

Ad hanc ex lege antiqua communionem respicit l. I. D. De rit. nupt. Et l. IV. C. De crim. expil. hered. *Uxorem suscipi sociam domus, rei humanæ atque diuinæ, &c.* Aliter hoc, sed turbidè in peruulgatis.

XXII.

INdex huius ex lege capitis A. Gellius c. XVI. lib. III. In eoque capite fuisse verbum. *In x mensibus* indidem perspexeris. *Quoniam*, inquit, *Xuiri in x. mensibus gigni hominem nō in vndecim scripsissent.* Malè in proletariis libris. *Quoniam Xuiri in decimo mense gigni hominem, nō in vndecimo scripsissent.*

Hoc amplius. *In* x *mensib. proximis* Xuiros dixisse, indicio est Scæuula l. XXIX. §. I. D. De lib. & post.

Vestigia verò huiusce antiqui iuris de partu Xmensium legiti-

mo,& alia,vt l.III.§.penult. D. De suis & legit. l. vlt. C. De post. hered. Nouel. XXXIX. c. I.

XXIII.

INdex Cicero III.de Legibus qui de Tribunatu plebis agẽs. *Deinde* inquit, *cum esset citò necatus, tanquam ex* XII. *Tab. insignis ad deformitatem puer.* &c. Sic enim legendus ibi Cicero.

Transcriptum autem hoc caput in XII. Tabulas ex legibus Romuli, fidem Dionysius facit, lib. II.

Eiusdem sortis & Thebana lex apud Ælianum Varijs c.VII.lib.II. Etiam Rhetra Lycurgi. l. Plutarchus in Lycurgo. Neque dispar philosophi Aristotelis lex, c. XVI. lib.VII.de Republ.

Denique commune hoc ius ciuitatibus Græciæ. Indicio est Q. Ennius, Melanippâ: cuius fragmina

ſic lego & colligo ex Marcello in *Auguro*, & Auſcultare.

Certo d hic eſt ningulla quin monſtrum ſiet.

Hoc ego tibi dico, & coniectura auguro

Mihi auſculta nate, pueros cremari iube.

Male apud Marcell. in *Auſcultare* eſt. *Ennius Menalippo*; pro. *Ennius Melanippâ*. Sermo ille Q. Ennij de liberis Menalippæ Amazonis, captæ à Theſeo. De qua Pauſanias in Atticis. Plutarchus in Theſeo.

Ningullus pro nec vllus, ſiue nullus vox Q. Ennij vt annali ſecunda, apud Feſtum lib. XII. *Ningulus, nullus, vt Ennius libro ſecundo. Qui ferro minitere atque in te ningulus mederi queat.* Reſtituo ego, præfiſcini dixero, ὡς ἐπιβόλως.

Qui ferro minitere, atque in te ningullus met Ire queat.-----

Qui ſic miniteris ferro, vt ſi nullus in temet ſiue in teipſum ferro

ire queat. Oscitat Paullus, qui Marcio vati hunc versum tribuit. Neque rectè suspicati aliqui confusa esse Marcij vatis & Q. Ennij testimonia.

Ex veteri autem hoc iure, in hodierno crebræ scaturigines vt l. xiv. D. de statu hom. l. iii. C. De post. hered. instit. Et apud Paullum Sentent. Tit. ix. lib. iv.

XXXIV.

DE patria potestate leges Romuli transcriptæ in xii. Tab. à Xviris. Eaque bona pars tabulæ quartæ. Fides à Dionysio lib. ii. Indicio est & Papianus, siue Papinianus ille est apud Pariatorem legis Mosaicæ Tit. iv. *Cum* inquit, *patri lex regia dederit in filiam vitæ necisque potestatem* &c.

Ac Papinianus quidem de lege illa sic agit tanquam scripta: Dionysius nescire fatetur scripta illa

an verò inſcripta. Quod autem Vlpianus l.IIX. D. De his qui ſui. *ius poteſtatis moribus receptum* ait, non pugnat Papiano. Nam ibi moribus receptum accipe, quod in forenſi tritura viget.

Patriam autem poteſtatem accipe nunc ciuicā ſiue ex iure Quiritium. Alterplex poteſtas patria eſt. Naturalis & Ciuilis. Naturalis patri poteſtas in liberos iure gentium. Plinius Panegir. *Vis lex que naturæ ſemper in dicione parentum eſſe liberos iuſſit.* &c. Sic patria poteſtas in liberos Græcis apud Dionys. lib. II. Et veteris Galliæ populis apud C. Cæſarem c. IV. lib. VI. Belli Gall. Et Perſis apud Philoſophum c. X. lib. IIX. ad Nicomach. Ἐν Πέρσαις ἡ τοῦ πατρὸς ἀρχὴ τυραννική. *In Perſis, patria poteſtas, tyrrannica.* At βασιλικὴ ſiue regia eſſe debuit, vt Romanis. Cuiuſmodi laudat poteſtatem philoſophus illo c. Et ad Eudemum c. IX. lib. VII. βασιλικὴ πολιτεία ἡ

τοῦ γεννήσαντος Regia eſt adminiſtratio, patris. Patria & Scythicæ, aliæque gentes in liberos poteſtate: at ciuica poteſtas ex iure Quiritium eſt, ſiue propria populi Romani l. III. D. De his qui ſui & §. II. Inſtitut. De patr. pot.

Eaque & *patria ſiue paterna maieſtas*, vt T. Liuij lib. IV. Valer. c. VII. lib. VII. exemplo Piſonis. Fabij Declam. CCCLXXVI. Et ſequente. Iuſtini lib. X. Sic *maieſtas viri*, pro mariti poteſtate Actius Tereo apud Marcell. in *Pauci*. T. Liuius lib. XXIV. Eadem & *ſacra patris*, vt *eſſe in ſacris patris*, pro, eſſe in patria poteſtate l. XX. De nupt. l. penult. De curat. fur. C. Gloſſæ vet. in excerpt. *In ſacris patris*. ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατρός. Et ἐν ὑπεξουσιότητι *In ſacris*. *In ſacris* nempe familiaricis.

Ac naturalis quidem poteſtas patri matrique communis l. IV. D. De cur. fur. l. XX. De inoff. teſtam. l. IV. De repud. C. ciuica autem

potestas patris tantùm est. Leo A. Nouella xxv. Eleganter Vlpianus d. l. IV. *Pietatem parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æquam deberi.*

Peculiaris autem potestas illa Quiritium est cùm aliis modis, tum trinæ venditionis iure, de qua est caput sequens, quodque vnum de patria potestate legis caput posuere alij. Atqui de patria potestate in XII. Tab. multimoda lex, patriæque maiestatis partes multæ apud Dionysium lib. II. vt εἴργειν, μαστιγοῦν, δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἀποκτιννύναι. *Vincire filium flagellis, cædere, vinctum habere ad rusticum opus in ergastulo.* Hanc fuisse potestatem patri ait inter omnem vitam filij; & seu priuus ille filius, siue magistratus populi Romani: siue obscurus, siue nobilis. Post hæc & talia pergit Dionysius καὶ οὐδὲ ἐνταῦθα ἔστη τῆς ἐξουσίας ὁ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης, ἀλλὰ καὶ

πωλεῖν ἐφῆκε τὸν υἱὸν τῷ πατρί. Latine dicam. *Neque hic patriæ potestatis finem fecit Romanus legislator: sed & vendere filium patri permisit.*

Ex capite igitur legis quo de nunc agimus, patri poteſtas filium vinciendi, virgandi ſiue ſcopandi, habendi in ergaſtulo, & occidendi. Simplicius in Epictetum. οἱ δὲ παλαιοὶ τῶν Ρωμαίων νόμοι καὶ πιπράσκειν εἰ βούλοιντο τοὺς παῖδας τοῖς γονεῦσιν ἐπέτρεψαν, καὶ φονεύειν ἀτιμωρήτως. *Antiquæ Romanorum leges parentibus permiſere ſi vellent, & vendere liberos, & occidere impune, &c.* M. Seneca Controuerſ. v. lib. IX. *Auo ſuos ſeruare licet, patri etiam occidere, &c.* Adde & ſanguinolentum exponendi, de quo patriæ poteſtatis iure Tit. C. De infant. expoſ. & C. Theodoſ. De expoſit. Idemque ius Atticum. Vt apud Ariſtophan. Ranis, vbi notat interpres proprium huic rei verbum χυτρίζειν.

Veſtigia & apud Terent. Andr. Act. IV. Sc. V. Heautont. Act. IV. Sc. I. Et imitatus Apuleius lib. X.

Occidendi ius tangitur fine l. XI. De lib. & poſt. l. V. De parricid. D. l. vlt. C. De patr. pot. Sed poteſtas hæc nulla iure Codicis d. l. vlt. Quod autem eſt d. l. XI. *licebat*, tanquam id ius obſoletum ſit, Tribuniani ego ſtilum agnoſco ſcribentem, *licebat*, pro, *liceat*. Nam occidendi poteſtatem Diocletianus abrogauiſſe videtur, qui & vendendi. l. I. C. De patrib. qui fil. ſuos diſtrax.

Tullij quidem Ciceronis ætate, vſus in filium poteſtatem occidendi, A. Fuluius apud Valer. c. IIX. lib. V. Salluſtium Catilin. Dionem lib. XXXVII. Et Auguſti ſæculo eques ille Romanus qui flagellis filium occidit, & ille qui filium exſilio damnauit, apud L. Senecam c. XIV. & ſeq. lib. I. de Clement. Idémque ius & ſub Nerone. Vnde illud L. Senecæ c. XI. lib.

III. de benefic. *Patres liberis quasi domesticos esse magistratus.* Et vox Claudij apud Suetonium c. XVI. De filio familias *Habere eum censorem suum* videlicet, patrem. M. Seneca Controuers. III. lib. II. *Facile est domestico iudici satisfacere, &c.* id est, patri.

Hæc omnia in lege Xuirali anteriora venditione filij, de qua nunc caput sequitur.

XXV.

PRomit ex XII. Tabulis Vlpianus Regul. Tit. x. & argumento est Dionys. lib. II. qui legislationis Romanæ de patria potestate capita recensens, cum dixisset ius patri fuisse filij venundandi, subdit. καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ, μέχει τῆς τρίτης πράσεως ἀφ' ἧς οὐ χρηματίζεσθαι· μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατεὶ κατὰ παιδὸς, ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου, &c.

Dico Latinè. *Etiam hoc patri legislator licere voluit, non ſemel ſed iterùm, tertiúmque pecuniam conficere venditione filij: maiorem ea re patri in filium poteſtatem largiens, quàm domino in ſeruum. Nam ſeruus venditus, ſi qua via libertatem reperit, liber in poſterum eſt: filius autem à patre venditus, ſi forte libertatem indeptus eſſet, recidebat in poteſtatem patris. Et verò iterùm ſi venditus ac liber factus eſſet, ſeruus iterum ſuo ſibi fiebat patri vt ante, donec tertiùm venditus planè liber à patre fieret.* Sic Dionyſius.

TER VENVM DVVIT.

Non de imaginaria ſed vera venditione hoc Xuiri, vt liquida res iam ex narratione Dionyſij. Sic apud Plaut. Perſa Sc. IX. non imaginariè ſed verè ac mere pater vendit filiam. Et apud Cic. I. de oratore eſt. *Quem pater ſuus, aut*

populus vendidisset, ei nullum esse postliminium.

Ac lege quidem Xuirali hæc patribus filiorum venditio permissa multifariam: sed obsoleuit paullatim ea potestas, vt l. vlt. D. quæ res pign. oblig. poss. Vno casu tamen & postmodo idem ius patri fuit, nempe si patri esuriales feriæ, & inedia: fas ei vitæ suæ, & ventris causa filium vẽdere, vt apud Plaut. Persa. Idemque & suo sæculo ius fuisse indicio est Paullus Sentent. 1. lib. v. Tit. 1.

Primus antiquauit hoc ius Diocletianus l. 1. C. De patrib. qui fil. suos distrax. Neque tameu omnimodo illa tunc profligata impietas. Constantin. enim l. 11. C. eod. Et l. vn. C. Theodos. De his qui sanguinol. permittit patri victus vitæque suæ gratia filium filiam ve sanguinolentos vendere.

Sanguinolenti sunt, vt cum Iuuenale dicam Sat. VII.——*Adhuc à matre rubentes*. Itaq. & Donatus

in Terent. Andriam. Act.III.Sc.II. dixit. *A matre sanguinolentum.*

Alios venumdare idem vetuit Constantinus l.II.C. Theodos. De alim. quæ inop. par. de publ. pet. deb. Vestigiũ tamen illius venditionis & in iure Gothico. leg. Aurel. Cassiod. Form. vlt. lib. IIX.

Dixeris neque ante Diocletianum veram fuisse illam patribus venditionem filij. Nam ait Constantinus l.vlt.C. De patr.pot. *Patribus in liberos ius vitæ necisque potestatem fuisse: libertatem vero eis à patribus eripi non potuisse.* Ergo, inquies, nec vendi potuere. Venditus enim redigitur in seruitutem, Fabius c.x. lib.v.c.III.lib.VII. Hoc diuide. Libertas Constantino est ingenuitas, vt patet Paulli Sentẽt. Tit.I.lib.v. Ingenuitas filio venum dato, non eripitur sed suspenditur: & si libertatẽ forte aptus est, non libertinus fit, sed vt ante fuit, ingenuus. At seruus qui manumittitur, libertinus fit.

Dixi de vera venditione filij: alia fuit imaginaria siue dicis caussa, siue ex nudo iure Quiritium, venditio nempe filij, non pretij ex filio conficiēdi: sed emancipandi filij caussa. Trina nempe venditio filij, interposita fiducia, ex qua deinde pater ille manumissor, hic fiduciarius. Hæc imago & vmbra veræ venditionis, siue notans, illi sic vendenti, esse ius reapse ter filium vendere. Narrat imaginariæ venditionis ritum T. Caius Institut. Tit.VI. Eoque transfert hoc de XII. Tab. caput Domit. Vlp. Regul. Tit.X. Vtraque filiorum venditio ex XII. Tab. sed vera venditio & si non abrogata, cum illa scriberet in Regulis Vlpianus, tamen morib. vix recepta, nec fere vnquam eueniebat vt pater filium vēderet: at emancipatio per trinæ venditionis imaginem, quotidiana. Tangit ergo hanc Vlpianus Regulis. De qua & Iustinian. §. Præterea. Institut. Quib. mod. ius patr. pot.

§.vlt. De legit.agn. ſucceſſ.§. Quæ autem de bonor.poſſeſſ. Et Theophil d.§.Præterea. Antiquauit hāc Iuſtinianus l.vlt.C.De emancipat. lib. & indicio eſt Nouel.xxci.c.1.

Duuit autem dederit. Feſt. in Duit.& produit. Gloſſæ vet. *Duint* δοῖεν, δώσωσι. *Duit*, δοίη. *Adduo* προσθῶ. *Duuit* autem, vt *luui*, *pluui*, *funi* &c. Rufin. De metris.

FILIVS A PATRE LIBER ESTO.

Liber, ſui iuris. Vt l. penult. §. 1. Quod falſo tut. l. IIX. §. vlt. De excuſ. tut. D. Sic *liber homo*, pro ſui iuris perſona l. Rectè D. Ex quib.cauſ.maior. Et *libera perſona* l. Solutum §. vlt. D. De pignerat. act.l. 1. C. De adquir.poſſ. Et *libertas* mulierum, ſui iuris ſtatus ſiue αὐτεξουσιότης. T.Liuij lib XXXIV. Cōcione L.Valerij Trib.pl. & D.Paullo ad Galatas c.IV. *Heres paruulus nihil differt à ſeruo* &c.

Nempe, quia sui iuris non est.

Et quidem propriè filius liber à patre. Nam ex XII. Tabul. filius patri tãquam seruus. Itaque Dionys. lib. II. de filio familias. Δοῦλος, inquit, τοῦ παιδὸς ἰῶ *Seruus erat suo sibi patri* Hinc & emancipatio liberorum, toto iure ciuilj. Similesq. ritus manumissionis & emãcipationis. l.vlt. C.de emanc. li.& Proemio Nouellæ XXCI. Hinc & illud l. CXCV. D. De verb. sign. patrifamiliæ in domo dominium, l.Lactant c.III.lib.IV. Festus in *Regalia exsta.*

LIBEROS CETEROS SEMEL.

Ceteros filiam aut nepotes.l.IIX. §.II.D.De iniusto rup. Caius Inst. Tit.VI. Theoph.§. Præterea. Institut. Quib. mod.ius patr.pot.

XXVI.

DE diuortiis caput legis, M. Cicero tangit Antoniana II. *Nolite*, inquit *quærere, frugi factus est, Mimam illam suas sibi res habere iussit, ex* XII. *Tab. claues ademit, foras exegit* &c. Hinc & illud T. Caij ex lib. III. ad L. XII. Tab. l. penult. C. ad. L. Iul. de adult. *Si ex lege repudium missum non sit.*

RES SVAS SIBI HABETO.

Ex capite hoc legis, formula illa diuortij, *Res tuas tibi habeto* aut *Res tuas tibi agito* apud Caium l. II. D. De diuort. Nunciatum his verbis diuortium vxori per libertum vt l. IX. D. eodem. Et apud Iuuenal. Sat. VI. Titinnius Geminis apud Marcellum, *Facessere---- At aliquis vestrum nunciet Geminæ res suas*

procuret, & facessat ædibus Neque dissimiliter Fabius Declam.cclxII.

Facta nunciatio & per libellum, qui libellus repudij, l. vII. D. eod. l.vI.C.De repud.

Nũciauere & ipsi, vt apud Plaut. Curcul. Sc.x. Apuleiũ lib. v. Martial epigr.cv.lib.I.

Adhibiti autem testes nunciationis vII. ciues Romani puberes l.IX.D.De diuort.

Aliud, *remancipare vxorẽ*: aliud diuertere ab vxore. De remancipatione Gallus Ailius apud Festum vbi lege, *quæ emancipata* &c. Emancipat vir vxorem vt filiam. Sic Tiberius Nero Liuiã vxorem suam elocat Octauiano. Quippe tanquam pater. L. Dio. lib. xlIIX. Quæ materfamilias, ea viro filia, & sui heredis loco, & liberis suis ex eo matrimonio susceptis soror. Vide re licet Vlp. Regulis Tit.xxII. §. Sui heredes Tit. xxIII.§. Agnascitur Tit. xxIX. §. I. Caium Institut. lib. III. apud Pariatorem legis

Moſaicæ Tit. xvi. §. vxor quoque. Copioſéque hoc Dionys. lib. ii. in narratione de legibus Romuli. Sic capi poſſe videtur, Lucilianum illud ex lib. Satyr. xxix. apud Marcell. in *Remiſſum. Cohibet domi mœſtus ſe Albinus, repudium quod filiæ remiſit. Filiæ*, id eſt, vxori. Ni quis in ſequiorem & nequiorem partem rapere vellet, qui tamen hoc tantum vinceret; Dilogiam eſſe. Eiuſdem iuris veſtigium eſt l. i. D. Rer. amot.

Peccat Tribunianus §. i. Inſtitut. de Sc. Tertyll. cum inquit. *Lex* xii. *Tabular. &c.* Dicere oportuit. *Ex lege* xii. *Tabular.* Nam vt oſtendi, lege xii. Tabular. materfamilias liberis ſuis ſoror & conſors. Ergo quod *inter matrem*, vt ait Tribunian. *& filium filiamve vltro citróque hereditatis capiendæ ius non fuit*, ex iuriſprudentia media eſt, ſiue iure ciuili. Rectè Vlpianus Regul. Tit. xxvi. §. penult. *Ad liberos*, inquit, *inteſta-*

tæ

ta matris hereditas ex lege XII. *Tabular. non pertinebat: quia feminæ suos heredes non habent, &c. Ex lege* XII. *Tabular.* Scilicet, per interpretationem.

CLAVES ADIMITO.

Vxori intranti limen viri, tradi solitæ claues. Festus in *Clauim.* Sic apud Tertyllianum exhort. ad castitat. Officium matrisfamilias, *regere loculos, custodire claues.* Itaque claues vxori traditæ, non ea tantùm fini quam Festus notauit: sed & vt ea nota significaceret vir se committere vxoris fidei & custodiæ rem domesticam quæ sub clauibus, vt l. lxxvII. §. Pater pluribus. De legat. II. *Moriens, claues & anulum custodiæ causa relinquit.* Et apud Artemidor. c. LIII. lib. III. ἡ κλεὶς πίστεως ἐστὶ σημαντική. *Clauis nota fidei*, siue custodiæ. Ergo & clauium traditio, quasi manu longa rerum ipsarum traditio est.

vt traditis horrei clauibus, tradita videntur quæ in horreo l. Qua ratione §. Hæ quoque res. De adqui. rer. dom. l. Clauibus. De contrah. emt. l. 1. §. Si iusserim. De adquir. possess. D. Tullius pro domo. *Tu*, inquit, *Sex. Clodio omnes horreorum claues lege tua tradidisti.* vt si diceret: Quasi clauib. traditis, omnia tradidisti quæ in horreis populi Rom.

Viceuersa igitur mulieri diuertenti atque exeunti adimi solitæ claues: & mulier nuncium viro remittens, claues ei remittebat. D. Ambrosius, epist. lxv. *Mulier offensa claues remisit, domum reuertit.*

Neq; tamē traditæ mulieri omnes claues, sed sequestratæ claues cællę vinarię. Has vir sibi retinuit, depositos in loculis, quos vxori resignare nefas. Fabius Pictor apud Plin c. XIII. lib. XIV. Tertyllianus Apologet. c. VI.

Ergo & lege Romuli, capitale

mulieri subiectio siue adulteratio eiusmodi clauium: eaque κλειδῶν ὑποβολή apud Plutarch. Romulo. vbi nequicquam reponere aliqui conati παίδων ὑποβολή, de qua nusquam lex Romuli. At quẽadmodum Dionysius rectè notauit lib. II. lege Romuli τῶν γυναικείων ἁμαρτημάτων ἔσχατα *Muliebriũ delictorũ extrema* siue grauissima duo. Vini vsus & adulterium. Quam Romuli legem laudauere & alij, vt M. Cic. l. III. de Rep. apud Marcell. in *Temulentus*, & apud eundem Varro in *Abstemius*. Tertyllianus Apologet. c. VI.

FORAS EXIGITO.

Clauibus ademtis iussa exire mulier. Patet locis ante dictis ex Titinnio, Fabio, Iuuenale, Martiale. Huc & Varronis locum retuleris non male; & de diuortio Sp. Caruilij Rugæ acceperis. *Annos mul-*

tos quod parere ea non poterat, mulierem foras betere iussit. Marcellus. *Betere.*

XXVII.

LEgum regiarum, vt Romuli aliorumque regum tanquam ſecundaria quędam legislatio fuit, latio legis XII. Tab. ſiue pleræque omnes regum leges in XII. Tabulas relatæ ſunt, vt tango infra c. XXCI.

Legem quidem Romuli de pudicitia matronarum in XII. fuiſſe, teſtis locuples L. Valerius tribunus pl. T. Liuij lib. XXIV. in diſſuaſione legis Oppiæ; qui cum legum duo genera poſuiſſet, temporarias & perpetuas, interrogat deinde ex quo genere lex Oppia ſit. *Hac*, inquit, *cum ita natura diſtincta ſint, ex vtro tandem genere ea eſſe videtur, quam abrogamus? An vetus regia lex, ſimul cum ipſa*

vrbe nata? an (quod ſecundum eſt) à Xuiris ad condenda iura creatis in XII. *Tabulis ſcripta ? ſine qua cum maiores noſtri non exiſtimarint matronale decus ſeruari poſſe, nobis quoque verendum ſit, ne cum ea pudorem ſanctitatemque feminarum abrogemus ? &c.* Male plerique libri. *Quid vetus regia lex, &c.* Nec bene aliqui regiam ibi legem accepere quæ de regia poteſtate Romuli. Heſere in ſalebra iſta plerique omnes qui legum Romanarum collectas fecere hactenus. Quippe nuſquam illius de maieſtate Romuli regis veſtigia, quæque de lege regia mentiones factæ apud iuris auctores, referendæ ad legem de imperio Auguſti latam, vt apertiſſimè oſtendi aliâs.

Quæ igitur vetus regia lex de qua Tribunus ille Valerius ? Lex Romuli qua mulier ſi quid peccaſſet vir iudex ei datus, Dionys. lib. II. Ἁμαρτάνουσα δέ τι, inquit, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμ-

ϐανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. Ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ εἴπις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή, &c. Moneo primitùs videri Dionysium scripsisse, δικαστὴν τῶν ἀδικουμένων. Sequitur enim, Ταῦτα. Item ἐν οἷς. Deinde sic reddo Latinè. *Si quid peccasset* mulier *iudex ei commissorum vir suus, & arbiter magnitudinis supplicij. Commissa verò illa, cognati mulieris cum viro disceptabant. In his peccatis erat corruptela corporis* siue adulterium, *& si qua mulier deprehensa temetum bibisse, &c.* Atque hic est Romuli ὁ περὶ γυναικῶν νόμος dictus Dionysio, siue lex de matronis. De qua lege & XVI. Cato in orat. de dote, apud A. Gell. c. XXIII. lib. X.

Qui legum regiarum eclogas fecere & nuperrimi, omnes ad vnum peccauêre ex vno legis Romuli capite, duo concinnantes,

vnum de adulterio matronæ, alterum de potione temeti. At vnum fuisse, res manifestaria, ex narratione Dionysij. Vnum videlicet legis regiæ primum, deinde & XII. Tabular. caput de pudicitia matronarum fuit, vetans & adulterium earum, & potionem temeti. Sic nempe iunctim tulit Romulus. Causam Dionys. reddit loco anted. Ἀμφότερα, inquit, ταῦτα ζημιοῦν ἐκέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα. φθορὰν μὲν ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς. Dixeris Latinè. *Hæc duo tanquam muliebrium delictorum grauissima, iussit multari Romulus. Corruptelam quidem siue adulterium arbitratus principium desperatæ mentis, ebrietatem verò principium corruptelæ siue adulterij.*

XXXII.

EX nuptiis liberi. His, si pupilli sint, opus tutor siue custos. De tutelis capita in XII. Tab. vt De tutela testamentaria. *Paterfamilias vti legasit* &c. Non de tutela tantum hoc caput: sed de successione & tutela, & prius quidem de successione quàm de tutela. *Super pecunia tutelá ve suæ rei*, &c.

PATERFAMILIAS.

Ait lex, *Paterfamilias*. Nam mulier suæ tutelæ non est. vt patescet c.XXIX. neque testamentum facit aliter, quam tutore auctore. Vlpian. Regul. Tit. XX. §. vlt.

Data itaque hoc isto capite legis potestas amplissima patrifamilias, heredis instituẽdi, legata & libertates dandi, tutelas constituendi l. cxx. De verb. sign.

Rectè Paullus monet amplitudinem illam legis coangustatam

esse interpretatione, vel auctoritate.&c. Huius coaugustationis exemplum plebi patet in legatis: sed poni & aliud pote in curationibus.

Nullum Romana legislatio discrimen fecit tutelæ impuberum, & curæ minorum: vt & lege Attica, eadem vtrisque ἐπιτροπὴν, siue ἐπιτροπία, apud Demosth. contra Aphobum. Nulla tunc interstitio tutelæ & curæ, quia sæculo Xuirali & iure Attico aliâs ocyus aliâs serius in suam tutelam veniebant, neque tutela exibant vt hodie masculi XIV. feminæ XII. anno vertente, sed *per inspectionem corporis*. De qua est Institutis §. I. Quib. modis tutela fin. l. vlt. C. Quando tut. vel cur. esse des. Eiusque inspectionis vestigium L. XXXII. §. I. D. De minorib. l. penult. Si minor se maior. l. IV. Qui testam. fac. C. Et apud Constantin. Tit. XII. lib. I. §. LIV. ex d. l. pen. Tangit & Fabius Declamat. CCLXXIX.

Eademque ſpectio pubertatis iure Attico, apud Ariſtophanem Veſpis:& iure Platonico lib. xi. De legibus. Atq. hoc erat, Δοκιμά-ζειν τοὺς ἐφήϐους. L. Vlp. in Demoſth. contra Midiam.

Suſtulit hoc tam delirum ſpectamen Iuſtinianus d. l. vlt. At iuriſprudentia media, præfinire tempus orſa eſt, maſculis xiv. feminis xii. Sic orta interſtitio tutelæ & curæ,&coanguſtatio legis xii. Aliter ſed longius à re, obſeruatio vi. lib. vii. Neque tamen ſimul & prefinitum id tempus,& abrogata inſpectio:ſed obſoleuit ea paullatim donec omnino Iuſtinianus abrogauit.

Hinc item perſpexeris, quare controuerſum hoc ius de inſpectione & annis in iure ciuili olim. Narrat hanc controuerſiam Vlpian. Regul. Tit. xi. Caſſianis quidem placuiſſe ius inſpectionis: at Priſco iunctim vtrumque, & inſpectione & annis pubertatem

æſtimari. ex Priſci ergo mente Seruius ad Æneidem VII. dixit. *In iure & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur.* Sed ne rectè hoc Seruius ad interpretationem Virgilij adſcripſit. Nihil enim facit. Ex iure autem hoc controuerſo, poſuit & Fabius quæſtionem c. II. lib. IV. Tangitur eadem controuerſia & l. IV. C. Qui teſtam. fac. Indicauit & Iſidor. c. II. lib. XI. & c. III. De deſp. impub.

Ad ius hoc Xuirale, non diſtinguens tutelam & curam reſpexerit forte an & Papinian. l. VI. D. De confirm. tut.

Eadem & P. Victori contemplatio, c. LXXIV. De viris inluſtribus, vbi *tutelam L. Luculli.* dixit, pro cura. Item aliis vt Flacco Sat. III. lib. II. epiſt. I. lib. I. Iuuenali Sat. XIV.

VTI LEGASIT.

Diuersimodè conceptum hoc legis caput in libris. Nam Sex. Pomponius l. cxx. De verb signif. PATERFAMILIAS, inquit, VTI LEGASIT SVÆ REI ITA IVS ESTO. Aliter Paullus l. LIII. Eod. SVPER PECVNIA TVTELA'VE SVÆ REI. Aliter & Vlpianus Regul. Tit. XI. VTI LEGASIT SVPER PECVNIA TVTELAVE SVÆ REI, ITA IVS ESTO. Neque similiter Iustinian. Instit. §. I. De lege Falcid. VTI QVI'SQVE LEGASIT SVÆ REI, ITA IVS ESTO. Dissimiliter idem Nouel. XXII. VTI LEGASIT QVI'SQVE DE RE SVA ITA IVS ESTO. Sua & Ciceroni. II. de Inuent. Et auctori ad Herennium lib. I. est moneta. PATERFAMILIAS VTI SVPER FAMILIA PECVNIAVE LEGASIT, ITA IVS ESTO.

Paulli verba & Vlpiani expreſſiora puto. Pecuniam quidem à Xuiris, tutela priorem eſſe nominatam, teſtis locuples Pomponius d. l. cxx.

Familiæ nomen adſcripſere aliqui in hoc legis caput, ſed diſconuenit. Quippe familia idem & pecunia, vt l. cxcv. §. 1. De verb. ſignif.

Legare autẽ Xuiris teſtari, quia Xuirali hoc iure fas legatis exhaurire patrimonium ſiue pecuniam. Rectè hoc Tribunianus §. 1. Inſtit. De lege Falcid.

SVPER PECVNIÆ.

Super pecuniæ tutelaue ſuæ rei. Sic enim Pandectæ Piſani rectè habẽt l. LIII. De verb. ſign. Benè ibi medulla ipſa iuris V. C. Iacobus Cuiacius notat Xuiralis & antiquæ linguæ tinnitum illum eſſe. *Super pecuniæ tutelæ ve*, pro ſuper pecunia tutela ve. Attice nempe. ὑπὲρ τῆς οὐσίας ἢ ἐπιτροπῆς. vt l. xI. §.

Quod vulgo D. Ad L. Falcid *Plus quartæ*, pro *Plus quarta*. Et l. i. §. ii. De legat. iii. *Eo casu quo cura & tutelæ liberetur*.

At illud d. l. liii. *Quemadmodum accipienda sunt sententiæ coniungentium aut separantium* &c. non prorsus eiusmodi. Paullus enim Græcus homo. *Quemadmodum accipienda sententiæ*, ex Attico dixit, ὅπως ληπτέα τῆς γνώμης.

Pecunia verò Xuiris hereditas. Tullius Topicis ad Trebat. *Hereditas*, inquit, *est pecunia, &c.* Et interpres Terentij ad Phormionem Act. ii. Sc. iii. *Apud Romanos*, inquit, *hereditas pecunia erat*. Indicatur hic ritus & l. xxii. C. De administr. tut. *In pecunia*, inquit, *robur omne patrimoniorum veteres posuerunt*. Popularis hæc nempe opinio. Qualem & philosophus notauit c. vi. lib. i. de Republ. Homines plerúmque arbitrari diuitias nihil aliud, quàm νομίσματος πλῆθος, *pecuniæ si-*

gnatæ, siue nummi copiam. Ad hanc itáque populi saliuam sapit & L. Seneca c. v. lib. vi. de benefic. ridens iurisperitos, qui definiunt hereditatem ius, siue rem incorporalem.

TVTELÆVE SVÆ REI.

Disiunctum pro connexo, siue, pro tuteláque suæ rei. *Nam tutor separatim sine pecunia dari non potest.* L. liii. D. De verb. sign. Non enim personæ tantùm pupilli tutor datur, sed in personam & in rem siue pecuniam. Hinc tutor quasi dominus bonorum pupilli. C. lvi. §. Qui tutelam. De furtis l. Ad ea. §. i. De reg. iur. l. vii. §. Si tutor. Pro emt. D. Sic & lege Solonia, ἐπίτροπος κύριος. Aeschines contra Timarchum.

Etiam quasi personæ dominus tutor. Itaq. negatur pupillus, *suæ potestatis* esse l. xliii. De oblig. siue

sui iuris l. II. §. I. De pollicit. D. Eoque dominij iure tutor pupillum vocat, *suum* vt l. Cum quis. §. Seiam. D. De legat. III. l. XI. C. De furt. Cornutus ad Persij Sat. IV.

Hac mente tutela definitur, vis & potestas. L. I. D. De tutel. Et Institut. §. II. Eod. Exerrat Theophilus §. eodem. Et Constantinus Tit. II. lib. V. quibus Græcè hoc, δίκαιον τε καὶ ἐξουσία. siue, ius & potestas. Nam ecce rem. Tutela vis efficiendi, & potestas imperandi est. Efficiendi vim Seruius refert ad negocia pupilli: imperandi potestatem ad personam & mores. L. Cum plures §. Cum tutor D. De administr. tut. *Tutor*, inquit Vlp. *non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponitur*. Ergo & Leo A. Nouel. LXIIX. tutelam vocat παιδοτροφίαν, & οἰκονομίαν. siue, *puerilem educationem & bonorum pupilli dispensationem*. Hæc vis est, illa potestas. Francisc. Accursius extra oleas est

interpretans *vim ac potestatem*, violentam poteſtatem. Alia Sulpicio mens, Vim ad bona refert, poteſtatem ad mores. Alexander M. apud Q. Curtium lib. IIX. *Castigari à tutoribus pupillos, &c.* Indicio & parœmia in caſtigatores. *Ne ſis mihi tutor.* Euclionis Plautinæ Sc. XIII. Et apud Perſ. Sat. III. Explicat. Iſidor. lib. X.

Datur itaque tutor & in perſonam & in rem. Sed quid faciemus legi XIV. æ D. De teſtam. tut. Ait enim. *Tutor perſonæ non rei vel cauſæ datur.* Diuido. Res enim vel pro pecunia ſiue vniuerſitate bonorum capitur, ſic tutor etiam rei datur ſiue pecuniæ: vel pro re cauſaue certa, vt lite, ſic tutor rei cauſæue non datur, d. l. XIV. παραλληλία ibi illud, *non rei vel cauſæ.* Itaque & eadem vi, rem, cauſam, litem controuerſiam dixêre vt l. III. §. vlt. l. V. D. De tutel.

ITA IVS ESTO.

Iustinian. Nouel. xxii. Theophil. Instit. §. 1. De lege Falcid. Νόμος ἔςω, *lex esto*. Rectè. Nam testamentum quasi lex priua siue domestica est patrisfamilias. d. Nouel. xxii. c. 1. Vnde legis & testamenti comparatio apud Ciceronem. Philipp. ii.

Obseruatio vi. lib. vii. censet capite aliquo legis expressam à Xuiris, & substitutionem vulgarem, quia L. ii. §. 1. D. De vulg. & pup. subst. ait. *Pupillarem moribus introductam.* Sed veriùs, & substitutiones consequentia siue interpretatione, ex hoc ipso capite natas. Substitutus enim nihil est aliud, quàm, quasi *secundus heres*. Caius Instit. Tit. De substitut. Item l. xxv. D. De testam. Tull. Top.

XXIX.

Si nullum pater tutorem testamento dedisset, Xuiri ab intestato ad tutelam vocauere agnatum proximum L. I. D. De legit. tut. Caius Institut. Tit. I. Vlpian. Regul. Tit. XI.

Qualibus autem hoc caput verbis conceperint decem illi viri, alijs aliæ diuinationes, mihi mea. Nempe. *Si intestatus moritur, cui impubes suus exstabit heres, agnatorum gentiliumque tutela esto.*

Intestati nomine vsos capite hoc Xuiros patet L. VI. D. De legit. tut. §. II. Institut. De legit. agn. tut. Sed nusquam Xuiri hoc capite *Nancitor* dixêre, vt indicio Festus, recteque fatetur obseruatio XI. lib. X. Quippe apud Festum in federe Latino, oppositæ voces *Nancitor*, & *habeto*. Tametsi T. Caius *nãcisci tutelam* dixit L. propenult. D. De legit. tutor.

At in ore Xuirali fuisse, *agnatorum gentiliumque* patet in capite infra scripto de cura furiosi. Et enim vt cura, sic & tutela legitima per agnatos gentilesque ambulat, perinde vt hereditas.

Inquies. At Vlpianus L. I. D. eod. legitimas tutelas lege XII. Tab delatas inquit esse, non agnatis & gentilibus: sed agnatis & consanguineis. Recte Vlpianus, neque contrarius nobis tamen. Quippe ex XII. Tab. gentilitiæ tutelæ: Vlpiani autem sæculo gentilitiæ tutelæ desitæ. Eaque differendi meta nobis ad caput, De legitima agnator. success.

Extra oleas illi qui capite hoc isto legis, etiam de testamentaria tutela perscriptum fuisse autumant. Reclamat Sex. Pompon. L. cxx. De verb. sign. Vlpian. Regul. Tit. II.

XXX.

LAtum à Xuiris de perpetua mulierũ tutela, ex Tullij pro Murena rectè ſuſpiceris. *Mulieres* inquit, *omnes propter infirmitatem conſilij, maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt.* Et M. Catonis ſuaſione legis Oppiæ T. Liuij lib. xxxiv. *Maiores noſtri, nullam ne priuatam quidem rem agere feminas ſine auctore voluerunt: ſed in manu eſſe parẽtum, fratrum, virorum,* &c. *In manu* accipio, *in tutela*, quemadmodũ ibidẽ explicat L. Valerius Trib. pl. reſpondẽs Catoni. Tangitur ius idem, Vlpiani Reg. Tit. xx. §. vlt. Et l. III. C. De legit. tut. Et à Cicerone epiſt. IV. lib. I. ad Att.

Hodie nulla mulierum perpetua ceſſicia ve tutela eſt: itaque & Tribunianus ex iuris auctorũ reſponſis mentionem eius exſtare

Illa rapit iuuenes, ſuſtinet illa ſenes. Vulgarij, *ſuſtulit.*

Non ſuſtinuit autem mulierum tutelas tantum Claudius, ſed & in omnibus tutelis nouauit quod eſt apud Suetonium Claud. c. XXIII. vt à Coſſ. *tutores pupillis darentur extra ordinem.* Extra ordinem magiſtratuũ. Prætorum & Tribunor. pl. ordo eſt, dare tutores, ſiue hi ordinariè dant tutores, vt apud T. Liuium lib. XXXIX. vbi de Hiſpala. vnde & illud C. Verris apud Ciceron. Verrina III. improbè dictum. *Pupillos & pupillas certiſſimam eſſe prædam prætoribus.* Conſules autem lege Claudia tutores dedere, ex ordinarie. Quod & Traiani ſæculo ſeruatum. Plin. epiſt. XIII. lib. IX. Sic Inſtitutis §. Sed hoc iure. De Atil. tut. Prætor dat tutores ſecundum ſuam iuriſdictionẽ, Præfectus vrbi ſecundum ſuam. Eſt enim diſcrimen, vt patet L. I. §. ſolent. D. De off. præf. vrbi l. I. C. De tutorib. inluſtr.

XXXI.

ACtio tutelæ in duplum ex XII. Tab. L. LV. §. II. D. De adminis. tut.

Huiusmodi actio & Athenis, apud Demosth. contra Aphobum ψευδομαρ. Et I. contra Onetorem. Et contra Nausimachum. & in summario item orat. contra Aphobum.

XXXII.

CApüt hoc ex XII. tabul. patet. L. I. §. I. D. De susp. Et Institut §. I. Eod. Tangit & Tullius III. de offic. cum ait. *Dolum malum legibus vindicari, vt tutelam lege* XII. &c.

Sic & Athenis iudicium pœna suspecti quæ ἐπιβολή De qua interpres Aristoph. ad Vespas. Etiam patrimonium tutoris lege obliga-

tum

tum pupillo. Demosth. orat. I. contra Onetor. Esse tutorũ χρήματα, τοῖς ἐπιτροπευμένοις ἀποτιμήματα. Atq. vt Romæ sic Athenis accusatio suspecti, popularis L. Iulius Pollux c. I. lib. IIX.

XXXIII.

FVriosi curationem ex XII. Tabul. esse, fidem facit Iustinian. Institut. §. Furiosi. De curat. Vlpian. Reg. Tit. XII. §. II. Tullius III. Tuscul. Et. II. de Inuent. Auctor ad Heren. lib. I.

Atque hic quidem vt & Tullius II. de Inuent. verba ipsa legitima posuit.

SI FVRIOSVS EXISTIT

Esse incipit, vt interpres Tullius III. Tuscul.

AST EI CVSTOS NEC ESCIT.

Festus posuit in articulo. *Nec.* Conuenit autem in hoc legis caput rectissimè *Si furiosus existit, ast ei custos nec escit.* Si furiosus esse incipit, cui custos non est, siue cui pater non est. Furioso enim si exstet pater, is custos est.

AGNATORVM GENTILIVMQVE.

Ita perscriptum à Xuiris connexè pro disiunctim, testis Paullus L. LIII. De verb. signif. Sic *itinere actûque priuato*, est itinere aut actu priuato, L. I. §. Si quis hoc interdicto D. De itin. act. priu. Sic & Maro Æneide v.

--------- *Multosque palus Laurentia &* Æneide II.

---- *Subiectisque vrere flamis.*

Vlpianus autem Regul. Tit. XII.

de capite hoc isto agens prætermittit gẽtiles, vt & Iustinian. §. Furiosi. Institut. De curat. Merito. Nam sæculo Vlpiani desitum ius gentilitatis, vt posterius dicendi meta in caput XXXIV.

Xuiros quidem capite hoc iunctim dixisse agnatos & gentileis, & Parœmiacum illud fidem facit M. Catonis de insano. *Ad agnatos gentilesque deducẽdum esse.* Iun. Columel. c. III. li. I. de re rust. Varro c. II. lib. I. de re rust. Quo & Horatius lusit Sat. III. lib. II. Eleganterque Plutarchus apud Stobæum Ser. XXXIII. οὐχ οὕτω τοῖς ὀρφανοῖς παισὶν, ὡς τοῖς ἀνοήτοις ἀνδράσιν ἐπιτρόπους χρὴ παρεῖναι. Dixeris Latinè. *Non tam pueris pupillis tutor, quam virorum stultis, curator opus.*

POTESTAS ESTO.

Potestatem dixere hi Solones, curæ nomen eis insolitum. Dixi ad caput XXVII.

Poteſtas autem hæc riuulus ex fonte iuris Attici, vt patet narratione de Sophocle ſene capulari apud Ciceronem Dial. de Senectute.

XXXIV.

Etiam prodigi curatio ex lege Xuirali. Fidem facit L. I. D. De curat. fur. Iuſtinia. Inſtit. §. Furioſi. De curat. Vlpian. Reg. Tit. XII. §. II. Eo & Tullianum hoc refer ex Dialogo de Senectute. *More Romano, malè rem gerentibus, patrijs bonis interdici ſolet.*

Interdictio illa nō eſt propalam ex lege, ſed per interpretationem ſiue conſequentiam, vt & inquiſitio Prætoria, L. XIII. D. De curat. fur. Neque tamen hi curatores, ita furioſo aut prodigo ex inquiſitione dati, ſunt Prætorij propriè, ſed propriè legitimi, quaſi autem Prætorij. Itaque Vlpianus Regul. Tit. XII. cum ait *Lex* XII. *Tab. fu-*

riosum itemque prodigum cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum. Hoc ita cum ait, quasi mixturam facit iuris antiqui & Prætorij: At propriè quidē Prætorius curator est furiosi aut prodigi, cui agnatus aut gentilis non est: furiosi nempe aut prodigi libertini. Vlpian. Regul. Tit. XII.

Attica quidem lege multati prodigi. Athenæus lib. IV. Τοὺς ἀσώτους τὸ παλαιὸν ἐκάλουν οἱ Ἀρεοπαγῖται, καὶ ἐκόλαζον. *Asotos ad pœnam vocauere olim Areopagitæ.*

XXXV.

DIuersum hoc caput à XXVII, vt interstitio testamenti est & successionis. Itaque vt duo capita legis ea promit Tullius II. De inuent. Auctor ad Herenn. lib. I.

Sui heredis successio ex capite illo XXVII. agnatorum successio ex capite hoc isto, *Ast si intestatus.*

AST SI INTESTATOS MORITVR.

Conceptũ hoc legis caput multifariam. Domit. Vlpianus ſic pronunciauit Lib. ſingulari, ſub titulo De legitimis hereditat. apud pariatorem legis Moſaicæ Tit. XVI. *Si inteſtatus moritur cuius heres nec eſt, agnatus proximus familiam habeatur: ſi gnatus neſcit, gentiles familiam heres hanc.* Aliter Vlpianus idem Regul. Tit. XXVI. §. I. *At ſi inteſtatus moritur cui ſuus nec exſtabit heres, agnatus proximus familiam habeto.* Sua & Ciceroni formula eſt II. de Inuent. & auctori ad Herenn lib. I. *Si paterfamilias inteſtato moritur, familia pecuniaque eius agnatorum gentiliumque eſto.*

Sed pleniſſima conceptio Vlpianica eſt libro ſingulari, at mẽdis librariorum obſita, quæ ſic elue. *Si inteſtatos moritur cui ſuus heres nec eſcit, agnatus proximus fa-*

miliam habeto: si agnatus nec escit gentiles familiam habento.

Cur libro illo singulari Vlpianus gentiles in hoc isto capite legis adiungit, in Titulis autem prætermittit? Libro illo singulari antiquum ius siue Xuirale posuit: in Regulis nouum siue hodiernum. Ergo & T. Caius apud comparatorem illum legis Mosaicæ. Tit. xvi. *Si nullus*, inquit, *agnatus sit, eadem lex* XII. *Tabul. gentiles ad hereditatem vocat.* His ita dictis post paullo subiungit, *Gentilitium ius in desuetudinem abisse*. Idemque & Vlpiani monitus Tit. eod. Postrema Vlpiano ibi vox huiusce capitis HERES HANC. cui subiũgit, *nec gẽtilitia iura in vsu sunt.* Repone, HABENTO. *Nunc nec intestati gentilitij, nec gentilitia iura in vsu sunt.*

CVI SVVS HERES NEC ESCIT.

Hinc ſui heredis ſucceſſio ex XII. Tabulis. Tangitur hoc ius Xuirale, & in D. l. VII. De bon. damn. l. CCXX. §. 1. De verb. ſign. Et Inſtitutis §. II. De hered. ab inteſt. §. II. De hered. qual. vbi notæ priores peccant, delentes illud, *ex lege* XII. *Tab*. Rectè agnoſcit Theophilus, & interpretatur κατὰ τὸ πολιτικὸν. Quemadmodum & Vlpianus Reg. Tit. XXII. §. Inter neceſſarios, dixit, *iure ciuili*. Lex nempe XII. Tabul. dicta ius ciuile.

Male autem quod in Eclogis Pandectar. d. L. CCXX. eſt τῶν ὑπεξουσίων, vertêre, filiorum familias.

AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM habeto.

Explicat Vlpianus L. cxcv. §. II. D. De verb. ſign. Iuſtinian. Inſtitut. §. I. De legit. agnat. ſucceſſ.

XXXVI

DE ſucceſſione illius qui in vtero, caput in XII. Tab. patet L. III. §. vtique D. De ſuis & legit. Innuit & Vlpianus Regul. Tit. XXII. §. Eos qui in vtero.

XXXVII.

PRofert hoc item caput legis Vlpian. L. cxcv. §. II. De verb. ſign. *Ad perſonas*, inquit, *refertur familiæ ſignificatio ita, cum de patrono & liberto loquitur lex:* EX EA FAMILIA, inquit, IN

EAM FAMILIAM, &c. Ex familia liberti, in familiam patroni, siue à liberto ad patronum transire pecuniam, si libertus intestatò & sine liberis mortuus.

Commemorat idem hoc VLpianus & aliâs, ex lege Xuirali caput, L. xi. D. De iure patron. Et Regul. Tit. vlt. §. i. Et lib. singulari Tit. De suis heredibus, apud Legis Mosaicæ pariatorem Tit. xvi. Memorat & Iustinian. Instit. §. iii. De success. libert. §. vii. De legit patr. tut.

Forte an & Institutis §. Tertiò. De bonor. possess. vbi est, Quinctò, *tanquam ex familia*. Rectiùs fuerit. *Qua ex familia*. Tamen etsi Theophilus interpretatus, ὡσανεὶ ἐκ φαμιλίας. At illos nihil moror qui rescripsêre. *Tum quem ex familia*, aut, *Eum quem*, aut, *Tum qui*.

Liberti & patroni duæ familiæ. Hinc quæstiuncula illa. An libertis ius habitandi cum patrono?

l. II. D. De vſu & hab. Athenis quoque libertis ſua familia. Itaque. Demoſth. Philipp. Τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας dixit, intelligens libertos.

XXXIIX.

DE actionib. hereditariis ſcriptum caput in XII. Tab. & quidem alterplex. Vnum, Ne cum legatariis, ſed cum heredibus debitoris mortui ageretur, vt patet l. vlt. C. De hered. actionib. Alterum, vt inter coheredes ſiue conſortes diuiderentur actiones hereditariæ L. XXV. §. Idem iuris eſt. D. Famil. erciſc. L. I. §. Si vnus ex pluribus. Et L. VI. C. Eod.

XXXIX.

FOrmula ſiue actio familiæ erciſcundæ ex XII. Tabulis pro-

fecta vt T. Caius obseruat l. 1. D. Famil. ercisc.

In capite hoc legis vsos Xuiros voce. *Erctum* Festus innuit. *Erctum*, inquit, *citúmque fit inter consortes, vt in libris legum Romanar. legitur*. Indicio & Tib. Donatus apud Seruium ad Æneidem IIX. versu illo.

---- *Citæ Metium in diuersa quadrigæ, &c.*

Citæ, inquit, *diuisæ, vt est in iure, Ercto non cito, id est, patrimonio vel hereditate non diuisa*. Itaque Donato Erctum, est patrimonium siue hereditas. Non dissimiliter Glossæ veteres Διαίρεσις ὑπαρχόντων, *Hercicitus*. Nempe, tanquam citus siue diuisio ercti siue patrimonij.

Herctum siue hercum, quasi ἕρκος ab ἔργω siue εἴργω, heredium, siue conseptum sæpimine prædiolum. De quo Terent. Varro c. x. lib. 1. De re rust. Et Festus. Ab eiusque heredij nomine & *Pe-*

teredium, petitio heredij, quæ in libris noſtris, *Petitio hereditatis.* Eutyches Aurelij Caſſiodori orthograph. C. IX. Quæ & ipſa forte an vox de XII. Tabul. Sed lingua Xuirali nuſquam *heredium*, ſignificatu prædioli aut villulæ, ſed *hortus*: qui autem nunc *hortus*, is Xuiris *heredium*. Plinius c. IV. lib. XIX. *In* XII. *Tab. legum noſtrarum, nuſquam nominatur villa, ſemper in ſignificatione ea hortus: in horti verò heredium.* Idemque hoc Feſtus obſeruans, *Hortus*, inquit, *apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi qui arma capere poſſent orirentur, &c.* Apud antiquos, nempe Xuiros. Et quidem liquida coniectura, vſurpatum hoc ipſo à Xuiris capite, & *horti* & *heredij* nomen. *Hercicitus* enim ille ad veterum paupertatem, quid aliud quam *horti* ſiue villulæ, ſiue prædioli, & *heredij*, ſiue agri florei diuiſio inter cõſortes? Modus enim agri, *ante Punicum bellum bina iu-*

gera. Varro c. x. lib. I. De re ruſt. Item Plinius c. II. lib. XIIX. *Bina tunc iugera populo Romano ſatis erant, nulliqne maiorem modum adtribuit.*

Hortum itaque & *erctum* decem illi iri dixere, *Hortum* nempe defuncti: *erctum*, vt ille *hortus* diuidendus inter conſortes.

Ecce autem & mantiſa. *Horctum* videri Xviris in lingua fuiſſe, non *hortum* aut *ortum*. *Horctum* nempe à fruge, non *hortum* ab oriendo. *Horctum* à fruge, vt *horctem*, id eſt, fortem ſiue bonum & frugi hominem à fruge Feſtus notat. *Horctus* nempe illo ſæculo nihil aliud quàm frugifertus ager, poſtumis ſiue poſteris, verò idem ager floreus. Dixi frugifertũ agrũ, vt florifertum agrum dixeris. Arnobius lib. VI. *Nomine frugiferto nuncupari.* Vulgarij ne rectè. *Nomine frugi ſerio nuncupari. Frugifertus* nempe Oſiris ſiue Sol de quo ibi Arnobius ridens Græca-

nicas & Ægyptiacas ineptias quibus Osiris quoque in coelo indigetatus *Frugifer* siue *Frugifertus*. Papinius Thebaid I. *Seu præstat Osirin Frugiferum.* Quod autem eodem Arnobij loco est, *dirus sanguineo decotoro malum dentibus suis comprimens, &c. decotoro* illud haud dubiè vox nihili est, neque tamen corrigenda *de coeroto*, sed, *de ricto* Pergerem plura, sed nunc operæ non est pingere hanc cupressum, immo enim de deuerticulo in viam. Ab ἔργω Xuiris est & *erco* pro arceo, non *ergo*, quia nullum linguæ Xuirali γάμμα. Testis Plutarch. Romanicis, Quæstione XIV. Victorin. Afer in ortograph. Festus in *Orcus*, &, *Prodigia*.

Ab *erco* autem *ercis*, *ercisco*, vt *viuo viuis viuisco*, cupio cupis cupisco, apud Priscian. c. VI. lib. IIX. *Erciscere* nempe *familiam* est inter consortes, quasi finibus certis regere siue coërcere & partiri he-

reditatem. Glossæ vet. Διαιρετέας ὀυσίας, *Herciscundæ familiæ.* Non est itaque vt obseruationes voluere, aut Paratitla Digestorum Tit. II. lib. x. *Hercisco tanquam erctum cio vel cieo, id est, familiam diuido.* Neque recte Isidor. c.xxv.lib.v. Disconuenit hercum esse familiam, & ab herco dici erciscere familiam iteratione futili.

Sed satis iam hæc in oculis legentium, superque commentus aut commentatus ego: pergamus visere porro hanc rutubam.

XL.

DE statu liberorum venditione cum sua causa, in lege caput vnum Vlpianus commemorat. Regul. Tit. II. §. IV. Innuit. & Sex. Pompon. L. XXIX. §. vlt. Et Herenn. L. XXV. D. De statu lib.

Nancitor vocem quæ notata ex XII. Tab. à Sex. Pompeio, meliùs in hoc caput retraxeris, quàm illud de legit. agn. tut. quò relatum voluêre. Patefcet fi quis recogitet quæ de emtore ftatuliberi & pecunia funt d.L. XXIX. §. vlt. & Vlp. Regulis.

Et quia in hoc de ftatu liberis campo fumus, & illud nobis fpatium liceto. Non ftatu liberos tantum, fed & ftatum liberum pro condicione ftatu liberi dixiffe. Gloffæ. *Statum liberum* ἐπικεχαρμένην τὴν ἐλευθερίαν. Refcribo. Ἐπικρεμαμένην ἐλευθερίαν. *Impendentem libertatem.* Hoc intereft libertas, & ftatus liber. Libertas præfentaria: ftatus liber, eft libertas pendens. Gloffæ *Statu liber* ἐλεύθερος χρόνῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς.

XLI.

EX M. Tullij pro A. Cæcina, & Top. ad Trebat. Tetigit & Iustinian. L. vn. De vſuc. transf. Et Inſtitut. §. 1. De vſucap. vbi & Theophilus illud verbum. *In iure ciuili conſtitutum*, ipſe declarans dixit τοῦ δωδεκαδέλτου νόμου κελεύσαντος. *Lege* XII. *Tabular. ſic iubente.*

VSVS AVCTORITAS
FVNDI.

Περιγραφή. Xuiralis, *Ius auctoritas* pro vſucapione. Intereſt aliquid tamen. Vſus propriè inchoata imperfectaque vſucapio, & quaſi inſtrumentum vſucapionis perfectæ, vt L. XIX. XX. XXIII. §. Is autem. D. ex quib. cauſ. maior. Horatius epiſt. II. lib. II. Hinc & vſus pro itinere, Seru. ad Æneid.

II. *verbum*, inquit, *iuris*, *via*, *actus*, *vsus*. *Peruius* nempe *vsus*, iter Maroni. Qui enim peruium facit locum, vsu adquirit. Nam & seruitutis quasi vsucapio est L. Si quis diuturnum. Si seru. vind. L. XXIIX. De seruit. præd. vrb. L. V. §. pen. De itin. act. pr. D.

At *vsus auctoritas* perfecta vsucapio, ex qua ius dominij, & titulus siue causa, vt in lege Atinia apud A. Gellium c. VII. lib. XVII. & infra c. II. & III. sequente. *Auctoritas* nempe vsu quæsita.

Ex hoc itaque iuris antiqui capite, vsucapionis definitio illa Vlpiani Regul. Tit. XIX. *vsucapio est dominij adeptio* &c. Et illa Modestini L. III. D. De vsucap. *Vsucapio est adiectio dominij &c.* Rectè *adiectio, vt* L. XVI. D. Eod. *Possessionem adijcere*. Male in notis ad Vlpiani Regulas correxêre.

Fundus autem quæuis res soli, vt L. CCXI. De verb. signif.

BIENNIVM ESTO.

Mutauit hoc ius hodie, vt & mobilium vſucapio annua. Patet L. vn. De vſuc.transf. L. xiii. De ſeruit. & aq. C. §. 1. Inſtitut. De vſucap.

XLII.

IVſtinianus Inſtitutis §. Furtiuæ. De vſucap. Veſtigium eſt & L. xxiv. D. De vſucap. Relatum idem, & quidem ipſis, vt patet, Xuirorum. verbis, lege Atinia. A Gellius c. vii. lib. xvii. Noluere Xuiri vllius tēporis quāquā lōgiſſimi vſucapione adquiri dominiū rei furtiuæ. Quemadmodū & iure Canonum rei furtiuæ nulla præſcriptio eſt. C. vlt. de præſcript. idemq; ius rebus iudicatis Galliæ.

XLIII.

EX Tullij I. De offic. Noluere Xuiri peregrino rem vſucapione adquiri ciuicam. Vſucapio enim iuris ciuilis eſt, nō iuris gentici. Peregrinus itaque ſiue hoſtis nō vſucapione adquirit, ſed iure-gentium, puta, occupatione &c.

XLIV.

CAutum in XII. vt inter vicinorum ædes ad circumeundi facultatem, interſtitium eſſet, pedis ſeſtertij. Voluſius Mæcianus lib. de aſſe, *Lex*, inquit, XII. *Tabul. argumento eſt: in qua duo pedes & ſemis, ſeſtertius pes vocatur.*

Spacium hoc ſeſtertij pedis, ſiue vt locutus Plinius c. XI. lib. XVII. *Quini ſemipedis*, ſiue vt Feſtus in *Ambitus Duorum pedum & ſemiſſis* circum ædes, dictus in lege *ambitus ædium*, Varro Terent. IV.

de ling. Lat. Festus in *Ambitus*. Isidor. c. vlt. lib. xv.

Atque hic ambitus quia lege præfinitus, dicitur spacium legitimum, L. xiii. D. De seruit. vrb. præd.

Ambitum Xuiri esse voluere, & insulas, ne incendia serperent, ædibus tunc Romæ ligneis, siue tabernis.

Ambitus hic patet in ijs ædibus quæ insulæ, de quib. Festus: sed obscurior & iuris controuersi in his quæ iūctæ pariete cõmuni. De qua Tullius controuersia in Topicis. Tangit & Victruuius c. 1. lib. 1. *Iura*, inquit, *architectus nota habeat oportet ea quæ necessaria sunt ædificijs communibus parietum, ad ambitũ, stillicidiorũ, & cloacarum & luminum*. Vestigium illius ambitus, & L. xx. §. vlt. D. De seruit. vrb. præd.

Ac propriè quidem insulæ sine pariete cõmuni, sed sæpiculè fraudem legi fecere Quirites boni, &

ambitum illum, vt ſibi ædes laxiores facerent, occupauêre, inſulæ nomine retento: vnde & inſulæ paries communis L. XIII. §. 1. D. eod. & *inſulæ domui adiacens*. L. XV. §. item quid dicemus. D. De dam. inf.

Dicamus & hoc inſuper in hac quaſi exorbitatione, locum Tullij Topicis, quem prænotaui, mendis nebuloſum eſſe, lucidum fore legenti. *Ex quo in eius ædeis*, deleta voce, *rectum Quod* autem, eſſe *quoad*.

Generatim itaque (pergamus enim trahere paulliſper hunc ſermonis funem) ædes ſunt ſiue domus ſiue inſula eſt: ſed propriè quidem domus quæ iunctæ pariete communi, vt Ouidij lib. IV. fabella Pyrami: Inſulæ autem quæ ambitu illo, viáue publica quaſi circũfluæ. Feſtus. Sic & Græculi νῆσον dixere, vt Gloſſæ vet in excerpt. c. *De Habitatione*. *Inſula* νῆσος. *Et alias*. Inſula νῆσος, συνοικία

Νῆσος nempe vt ambitum habet: συνοικία vt est sub claui eadem Itaque indidem συνοικία *conclauium, conclauia, insula.* Aliud *conclauia*, aliud *conclauata.* Ne rectè tollitur ea differitas apud Festum.

Sic Neronis sæculo & domus & insulæ. C. Tacitus annali xv. in narratione incendij Neroniani. *Domuum*, inquit, *& Insularum & templorum*, Et post Neronis incendium, annali eadem. *Effectis domibus aut insulis.* C. Taciti manu dixeris fuisse. *Refectis domibus aut insulis* Nempe. Refectis domibus aut insulis quæ superfuerant incendio, regionibus vrbis septem. Itaque & paullo anterius legeris ad C. Taciti mentem. *Ceterùm vrbis quæ domus supererant, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim refecta: sed dimensis vicorum ordinibus, &c.* Vulgarij, *nec passim erecta.* Disconuenit; vt neque illa C. Tacito facit rescriptio.

ſcriptio. *Ceterùm vrbis quæ domus perierant* &c. Capc ſis aptam Corneliano ſenſui differitatem Erectæ domus & Inſulæ triùm vrbis regionum. *quæ ſolo tenus deiectæ*: refectæ autem domus in VII. regionibus illis, quibus *pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera & ſemiuſta.* Triplex itaque Cornelij narratione illa ædium genus. Integræ, erectæ, refectæ. Integræ IV. ijs regionibus quæ flama intactæ: refectæ VII. regionibus vbi ſuperfuere *tectorum veſtigia*: erectæ trium regionum quæ ſolo tenus deiectæ.

Eadem Cornelij narratione, quod eſt. *Nec dum poſito metu redibat. Leuis rurſum graſſatus ignis* &c. Libri Mediolanenſes. *Nec dum poſito metu ſatis credebatur: cum leuis rurſum graſſatus ignis.* &c. indicium hoc veræ lectionis, ſcilicet fuiſſe. *Necdum poſito metu ſatis, redibatur: cum leuis rurſum &c.* Pro. Necdum ſatis poſito me-

tu, reditum plebes tentabat, cùm leuis rursum, &c. Illud. *Necdum posito metu rediit, at lenius rursum grassaturus ignis.* negat suum esse Cornelius.

Ex dimensione itaque vrbis Neroniana, plures insulæ quàm domus veteri Romæ. Et insulæ populares: domus procerum. Itáque domus notatæ à Sex. Ruffo, & P. Victore nomenclatura regionum vrbis, & innominato regionum vrbis nomenclatore, qui sub Arcadio. Aliquæ & à C. Plinio. c. I. lib. XVII. Hinc & l. XV. §. Item quid. D. De dam. inf. *insula domui adiacens*, vt adpendicula scilicet. Hinc & *domus* pro templo vt notum ex Marcello.

At nouæ Romæ nulla insula. Quippe omnes ibi domus ξυνημμέναι ἀλλήλαις siue contiguæ, vt Agathias notauit principio lib. V. Ergo neque vlla insularum mentio in nomenclatura nouę Romæ, auctoris incerti.

XLV.

VT de ambitu ædium, ſic de pariete cõmuni tuliſſe Xuiros, Victruuius indicium facit c. II. lib. II. *Leges*, inquiens, *publica non patiuntur maiores craſſitudines, quàm ſeſquipedales conſtitui loco communi*. Non diſſimiliter Plinius c. XIV. lib. XXXV. Notat verò inſuper Victruuius eadem craſſitudine locatos & ceteros parietes, ne ſpacia anguſtiora fierent.

Vetitum itaque lege parietes communes craſſiores fieri ſeſquipede, ſed licitum facere tenuiores. Probo ex L. LII. §. Item Mela. D. pro ſocio. *Vicini inter ſe conferunt ſemipedes ad parietis craticij*, ædificationem.

Paries communis craticius, neque ſemper tamẽ vt aliqui perſuaſi, ſed plerúmque vt, d. L. LII. §. Idem Mela. Et apud Plin. c. XIV.

lib. xxxv. Non ſemper fuiſſe craticios parietes eiuſmodi, fides à Victruuio, qui c. IIX. lib. II. aliquos, inquit, ciues neceſſitate cogi ad craticios parietes communes, ob pretij leuitatem, aut ſtructuræ celeritatem: ſed ipſe quidem eosdeteſtatur, quod cum gerris ſuis & ſolea ſua, ſint quaſi faces ad incendia.

Paries verò communis, idem & intergerinus, vt apud Verrium, & Plinium c. eod. Gloſſæ Intergeries, paries. Τοῖχος, ὁ δύο κτήσεις διορίζων. Sed forte an ibi. *Intergerius paries.* Sic Plinius c. XII. lib. XIII. *Modo intergerij.* Neutiquam verò melius, *intergerriuum*, à gerris ſiue cratibus dixeris. Nam etſi paries hic è gerris, tamen à forma intergerinus.

Eiuſmodi parietes itaque nec apti plus vna ſuſtinere contignatione, Victruuius inibi. *Tenuis* nempe hic *tibicen*, de quo Iuuenal. Sat. III.

--*Vrbem tenui tibicine fultam.*

Itaque ruinarum metu hoc ipſum forte an præſcriptum & à Xuiris,ne, ſcilicet,altiùs ædes tollerentur. Itáque Vlpianus l. 1. Nunciamus D. De op. no. nunc. *Leges*, inquit, *edictáque principum, ad modum ædificiorum facta eſſe.* Leges XII. Tabular. innuens, opinor, edicta verò principum, vt Auguſti, Neronis, Traiani, Seueri. Etenim Xuiris neglectis, altiores ædes tamen excitatæ ijs adminiculis: quæ recenſet loco antedicto Victruuius. Neglectos Xuiros paullatim à poſteris, indicio eſt P. Rutillij Ruffi de modo ædificiorum oratio, Suetonij Auguſto c. XXCIX.

Ergo & Auguſtus modum altitudini præfiniuit. Non extolli vltra pedes lxx. Srrabo lib. V. Tangit & Suetonius C. illo XXCIX. Et Valerius c. III. lib. II.

Cohibet altitudinem & Nero, apud C. Tacitum annali XV°.

Post Neronem, & Traianus apud Aurel. Victorem, præfiniens pedes lx. Vetat & Seuerus *modum vsitatum altitudinis excedi*. L. 1. C. D. ædific. priu. Vt & Vlpianus L. XI. D. De seru. vrb. præd. ait. *Formam ac statum antiquorum ædificiorum custodiri debere.* Vterque respiciens, opinor, ad modulum Traiani. Neque tamen effici potuit, quin excelleret vrbs in eam altitudinem, quæ tangitur ab Aristide in Romæ encomio.

Vbi autem de pariete communi, ædiúmque altitudine, inibi forte, an & de *tugurio* Xuiri. Nam de *tugurio* in XII. fuisse, à Festo fides. Nempe Valerium in explanatione XII. notauisse, tugurij nomine etiam tectum significari. Forte autem & defectum. Festi rectè ita suppleueris. *Quo nomine Valerius in explanatione* XII. *ait, etiam tectum in lege* XII. *Tabular. significari.* Primigenius nempe *Tugurij* siue *tegorij* significatus te-

ctum, vt ipsa perspicuum originatione.

At Glossæ vet. in menda. *Tugurium*, στερεῷ, βεβαίῳ, σταθερῷ. Fuisse autumo. *Tuto*, στερεῷ, βεβαίῳ, σταθερῷ. *Tugurium*, σκηνὴ ἀγροίκων. vt aliâs. σκηνὴ ἀγροίκων. *Casa*, *Tugorium*. Fors sit an & apud Festum fuit. *Tuguria à tego*, non vt vulgarij, Tuguria à tecto.

XLVI.

TVll. Cicero I. de Legibus. *Vsucapionem*, inquit, XII. *tabula*, *intra* V. *pedes esse voluerunt*. Ne rectè ibi legunt. *Inter* V. *pedes*. L. III. C. Theodos. Fin. regund. *Cum intra* V. *pedes locum*, *&c.* Iul. Frontin. lib. de limitib. agror. *Secundum legem Mamiliam intra* V. *pedes agitur*. Siculus Flacc. De condic. agror. *Intra pedes quinos*, *vt legis Mamiliæ commemorationem*

habeant. Flacidum illud, *commemorationem*, dixit haud dubiè Flacus ille, *commensurationem. Commensurationem*, inter possessionem vtrámque; mensuram siue mensurationem. Sic apud Hyginum de limitibus. *Latitudinem secundum legem Mamiliam accipere.* Prox illud, *commensurare*, vt *remensurari* in Eclogis auctorum de limitibus. Et ibidem *mensurare.* Et *mensuratio.*

Noluere Xuiri hoc inter agros spacium vsucapi. Ratio eccilla apud Aggenum vrbicum de limitib. *Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest, &c.* Hoc nempe iter illud, quod nisi præstetur fundus inutilis est, vt l. x. D. De seruit. vrb. præd. Sine itineris accessu, nullum esse fructus legatum. Hic itineris accessus, siue hæc v. pedum interstitio dicta in XII. Tab. *confinium*, vt indicio il-

lud T. Caij L.VII. §. vlt. D. De adq. rer. dom. Et Inſtit. §. Si Titius. De rer. diuiſ. *Prope confinium arbor poſita.* At Varro Teren. IV. de ling. Lat. *Arbores quæ in confinio natæ,* inquit. Prope confinium arbores ponere licet, in confinio ne licet, quia id neque vſucapitur. Itaque Caius *poſitam*, dixit, Varro, *natas.*

Paullo anteriùs d. §. ſi Titius, peccatum Tribuniani eſt, cum ait. *Vt ſi vicini arbor ita terram Titij preſſerit*, aut, *vt ſi vicini arborem ita terra preſſerit.* Rectum ex l. Adeo. §. vlt. D. De adq. rer. dom. *Vt ſi vicini arborem, ita terra preſſerim.* Virgil. II. Georg.

---*Quæcunque premes virgulta per agros.*

Et L. Seneca epiſt. XXCVII. Qui notas ſecundas ſcripſit, fruſtra eſt, ſic reponens. *Si arbor terram preſſerit.*

Caput autem hoc XIIrale, relatum & lege Mamilia, vt patet

apud Aggenum Vrbicum, & Iul. Frontinum locis prædictis. Sed ea lege relatum id cum laxamento. Sic enim Aggenus. *De fine*, inquit, *Lex Mamilia* v. *aut* vi. *pedum latitudinem præscribit.*

XLVII.

HOc superiori, caput iunctum proximè fuisse, liquet L. III. C. Theodos. Fin. regund. *Si finalis controuersia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur apud Præsidem esse constiterit, &c.* Similiter hæc iunctim & in lege Mamilia apud Iul. Frontin. loco antedicto.

SI IVRGANT.

Patet Tullij verbis, ex IV. de Republ. quem Marcellus profert in *Lis.* Quippe agens de his Ta-

bulis. *Admiror*, inquit, nempe XII. Tabulas, *nec rerum solùm, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant*, inquit, &c. *Inquit*, nempe, lex XII. Tabular. Et in sequenti. *Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.*

Tangens hoc verbum huiusce capitis L. V. C. Fin. reg. Et L. IV. & V. C. Theodos. Eod. *Finale iurgium*, dixit pro iudicio Finium regund. vt & Iulius Frontin. De limitib. agror.

VICANI.

Vici & *Vicani* siue *Vicini* in agris, vt apud Festum. & L. IV. §. 11. & penult. D. Fin. reg.

Vicanos Xuiri dixere: nouiùs Cicero *Vicinos*. Festus in *Vici. Qui*, inquit, *non dicuntur Vicarij sicut ij qui aut in oppido vias, aut hi, qui in agris sunt, Vicarij adpellantur*. Relego. *Qui non dicuntur Vicani, sicut ij, qui aut in oppido*

rum Vijs, aut hi, qui in agris sunt, Vicani adpellantur. Triplex ibi Festo Vicorum genus. I. Villaticum. II. Vrbanum. III. Domesticum. A primo tantùm alteroque dictos Vicanos. *Altero,* inquit, *cum id genus ædificij, quæ continentia sunt, ijs, opidisque, itineribus, &c.* Lego. *Altero, cum id genus ædificiorum, quæ continentia sunt ijs oppidis quæ itineribus. &c.* Vicani, itaque olim Vicini: deinde Vicani & pro paganis. Vt l. II. C. Vt nemo ad suum patrocinium, &c. Et *conuicani* l. vlt. C. Theod. De patroc. vicor. Aggenus Vrbicus Comment. de limitib. agror. *Salmaticenses Vicani.* Deuij Geographi accepêre Salmanticenses proprie indigetari Vicanos. Vult Aggenus Lusitaniam esse prouinciam, in ea prouincia esse Vicanos siue paganos illos qui dicti Salmaticenses, siue Salmanticenses. Glossæ Vet. *κωμήτης Vicanus. Vicani κωμητικοί.* At illud, *Vicô, κώμης.* rectiùs;

Vico, κώμη.

PRÆTOR FINIBVS REGVNDIS.

Sic præſes arbitros dat L. III. C. Theod. Fin. regund. Et Eclog. Digeſtor. Tit. IX. lib. LIIX. §. II.

ARBITROS TRIS DATO.

Liquidum ex LXIII. C. Fin. regund. Cicerone, I. de Legib.

Hi autem arbitri, *Arnales ſodales* Gl. veter. *Arnales ſodales, lib. De off. procos.* περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί. Fruſtra ſuſpicati, hos non diſtare ab ijs qui *fratres aruales*, vt Obſeruatio XXXIV. lib. X. Et v. lib XI.

Tres illi arbitri ſodales, quia Collegæ *ſodales ſunt*, L. vlt. D. De colleg. *Tres autem faciunt collegiũ* L. XXICV. De verb. ſignif. Vt & familiam faciunt ſerui tres. L. XL. D.

eod. Ratio est apud philosophum c. 1. lib. 1. de cælo. Nempe, omnes dici non de duobus, sed tribus. ὅτι τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. *Quia vniuersum, resque omnes definita numero ternario.* Atque id decretum esse Pythagoræ. Ita & Seruius ad Æneidem XII. Omnes non dici de duobus. Hinc & illud D. Augustini Attice πλεονάζον c. XLIII. lib. XIIX. De Ciuit. Dei. *Omniũ trium linguarum.*

Cur autem aruales collegæ illi siue sodales, vel cæcus perspexerit.

XLIIX.

QVA interstitione sæpes, maceria, ædes, sepulchrũ, scrobes, puteus, olea ficus, aliæque arbores, à Vicini possessione, abesse oporteret, tulisse Xuiros, licet arbitrari ex inscriptione. L. vlt. D. Fin. regund. Quæ ex T. Caij li. IV. est ad Legem XII. Tab.

Ex eadem L. vlt. perſpexeris hoc & antecedens caput eſſe riuulos ex lege Solonia. Quam & Plutarchus commemorat, & rationem eius adſcribit in Solone.

XLIX.

S*Vblucatio arborum* in XII. Tab. teſte Vlp. L. I. §. vlt. D. De arbor. cæd. *Quod*, inquit, *ait Prætor, & Lex* XII. *Tabular. efficere voluit vt* XV. *pedes altius rami arboris circumcidantur, & hoc iccirco effectũ eſt, ne vmbra arboris vicino prædio noceret* Diſertim Eclogę Digeſtor. Tit. VI. §. XIII. lib. LX. τὸ αὐτὸ ϰ̀ ὁ δωδεκάδελτος φησιν. *Hoc ipſum & Lex* XII. *Tabular. præcipit*. Ab hoc itaque legis capite, interdictum de arboribus cædundis d. L. I. §. I.

Sublucare arbores, ſermo linguæ Xuiralis, vt liquet Paulli Sentent. Tit. VI. lib. V. at Prætor *coer-*

cere dixit, d. L. I. §. penult.

L.

DE *conlucatione* item arborum caput in XII. Tabulis. L. II. D. Eod. *Si arbor ex vicini fundo, vento inclinata in tuum fundum ſit, ex lege* XII. *Tabular. de adimenda ea recte agere potes, ius ei non eſſe, ita arborem habere.* Idemque Eclogis Digeſt. Tit. XVI. §. XIV. lib. LX.

Liquida coniectura, *conlucandi* verbo vſos eo capite Xuiros: Prætor autem adimere dixit. d. l. I. §. I.

Sublucare, & conlucare Feſtus diuidit, ſed idem & *conlucare* pro ſublucare dixit in *Cōlucare*, & Iun. Columel. c. vlt. lib. II.

A capite itaque hoc Xuirali, eſt interdictum Prætoris de ademtione ſiue conlucatione arboris. d. l. I. §. I. & d. l. II.

L I.

DE glande procidua ex XII. Tabul. caput refert Plinius c. 5. li. XVI.

Hinc & glandis definitio apud T. Caium lib. IV. ad legẽ XII. Tab. Ex eoque L. CCXXXVI. §. II. De verb. ſign.

Glandem prociduam fors ſit an dixerint capite hoc Xuiri, ex eaque voce natum illud Plinio, *Procidentem* &c. vt deciduum idem dixit c. XIX. lib. XIV.

Quib. *caduca glans* riſit, cogitent caducam eſſe magis ſuo ſibi prædio: prociduam magis prædio vicini. Sic L. XXX. De verb. ſign. de glande caduca quæſtio ad ius vtendi fruendi ſpectat, non ad interdictum ex XII. Tab. De glande legenda. D.

L I I.

T. Caius l.IIX.D.De seruit.rust præd. *Via* inquit, *latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habet: in amfractum, id est, vbi flexum est, sedecim.* Sic in Eclogis Digest.lib.LIIX. Tit. De via publica. κατὰ νόμον ἡ πλατεῖα ὁδὸς εἰς μὲ ὀρθὸν ὀκτὼ ποδῶν ἐστιν: εἰς δὲ κάμψιν ις. Ex lege via lata, in directum IIX.P. habet: in amfractum XVI. Significanter noui illi Romani viam latam siue πλατεῖαν ὁδὸν dixere, vt & post paullo. Πλατεῖα ὁδός ἐστι τὸ περιέναι, τὸ διακινεῖν, καὶ ἐλαύνειν. *Lata via est, ire, & ambulare, & agere.* Non ociosa, inquam, hæc ἐπίτασις. Nec enim via omnis lata est, siue plenam ex formula legis latitudinem habens. Potest quippe via, vt & actus, & iter, stipulationibus & pactis contrahi aut dila-

tari l.XIII.§. Latitudo D. Eod. Sed non ita contrahi aut dilatari, vt natura siue ius ipsum seruitutis mutet, fiatque ex itinere actus, ex actu via, aut viceuersa.

Siue dum actus sit iumenti & vehiculi capax: via itineris & actus Eaque mens L.VI.§.Certè.Quem. seru. amitt. L. Via. §. 1. De seruit. rust. præd. L.XIII. De seruitutib. D. Neque inter has leges pugna est, quam timuêre aliqui.

Sic *via lignaria* lignis vehendis latior, nempe formulá communi, apud Aggenum Vrbicum, de limitibus. Vt L. VII. D. De seruit. rust. præd. *Via trahendi, & rectam hastam ferendi.*

Dicam⁹ autē & hoc defunctoriè. Si via P.IIX. est, quid Ailius Gallus voluit L. CLVII. De verb. sign. cū ait, *Via est, siue semita, siue iter est.* Namsi aut semita aut iter est, P. IIX. certè non est. Scripsere ad titulum illum hoc sæculo, ipsi apices iuris, nec hilum extricauere.

Gallus autem Ailius voluit, viam esse genus sub eo genere species, Iter, semitam, viam. Generatim via est quaqua ire licet: speciatim aliud iter, aliud semita, aliud via. Via sunt actus duo Seru. ad Æneidem IV. Actus igitur semita. Glossæ, Semita ἡμιόδιον. Non dissimiliter l.II. §. viarum. D. Ne quid in loco publ. via est, iter, pro via.

Alia item visione, *Via est siue semita siue iter est*. Quia & iter, & semita siue actus in via est. L.I.§.I. D. De seruit. rust. præd. Et Institutis §.I. Eod. Et Pandectar. Eclogæ. περιέχει γὰρ ἡ πλατεῖα ὁδὸς, τὸ μονοπάτιον καὶ τὴν πάροδον. Male itaque Pandectæ Pisani d.L. I.§. I. *Nam & iter, & actum, & se, via continet*. Turbide de itinere, actu, via, obseruatio. XXXV. lib. XXII.

LIII.

TVllius pro Cæcina. *Si*, inquit, *via sit inmunita, iubet lex quà velit agere iumentum.*

Vſos Xuiros in hoc iſto capite legis, nomine *amſegetum*, ſuſpicari fas. *Amſegetes*, inquit Feſtus, *dicuntur quorum ager viam tangit.* Sic vicini l. vlt. D. De via publ. & it. publ. οἱ πλησιάζοντες γείτονες. Eclog. Digeſt. Tit. eod. Sed propriè tangitur hoc c. via quæ ſeruitus.

LIV.

HOc in xɪɪ. Tabulis de aqua pluuia arcenda perſcriptum fuiſſe teſtis Labeo apud Pomponium L. xxɪ. D. De ſtatu lib. *Sic*, inquit, *Verba legis* xɪɪ. *tabular. veteres interpretati ſunt*. SI AQVA

PLVVIA NOCET, id eſt, nocere poterit. Forte an ſic Xuiri. *Si aqua pluuia, manu nocet, arbiter coerceto.* Non enim de natura vitiove loci nocente aqua Xuiri: ſed ea quæ manu ſiue opere nocitura eſſet, L. 1. §. 1. §. Sicut. §. Iidem aiunt. D. De aqua & aq. plu. arc.

LVI.

INdicio eſt Paullus L. propenult. D. Ne quid in loco publ. *Si per publicum*, inquit, *locum, riuus aquæ ductus priuato nocebit, erit priuato actio ex lege* XII. *tabular. Uti noxa domino caueatur.*

Suſpicio tamen aliqua, eiuſmodi actionem ex lege XII. eſſe non propalam: ſed interpretatione Sex. Ailij, & aliorum deriuantium huiuſmodi actionem ex ijs quæ in lege XII. tabular. de noxa erant, & damno infecto. Etenim

Iul. Frontinus principio libri de aquæductibus. *Ab vrbe*, inquit, *condita per annos* CDXLI. *contenti fuerunt Romani vsu aquarum quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontib. hauriebant.*

De aquæductu si quid Xuiri, magis est vt *aquagium* aut *Aquarium* dixerint, vt & iuris auctores plerique l. III. §. v. De aq. quot. l. IX. Quemad. seru. l. XV. De seru. rust. præd. D. Et Sex. Pomp. Glossæ. *Aquarium* ὑδραγώγιον. Et. ὑδραγωγεῖον. *Aquiductium*, *Aquarium*, *Aquagium*. Item, *Ductus*, Ἀγωγεὺς ὕδατος, ὑδραγώγιον.

LVII.

Aliqua & de furtis lex in his tabulis, & quidem priori-bus. Non difficilis coniectura ex inscriptione II. De arb. furt. cæs. quæ ex lib. I. Caij est, ad L. XII. ta-

bul. Et L.IX. D. D. incend. Quæ ex lib. IV. Caij, ad L.XII.

Principium quidem huic capiti quale conceperint Solones Romani, exhibet Macrob. Saturn. c. IV. lib. I. *Si nox furtum faxit, &c.*

Prior nempe capitis pars de fure nocturno : altera de interdiario. De vtráque furatrina vnum caput fuisse liquet. Sic enim summam ducit l. IV. D. Ad L. Aquill. Tullius pro Milone. A. Gell. c. XIIX. lib. XI. D. Augustin. II. in Exod.

Seorsim autem de priore lauernionum genere illo tantùm ex XII. Tab. A. Gell. c. I. lib. XX. De posteriore l. LIV. §. II. De furt. Respexit eodem L. CCXXXIII. De verb. sign. in definitione teli, ex T. Caij lib. I. ad L. XII. tabul. Cicero item pro M. Tullio, vt promit Iul. Rufinian. in Apophasi.

Mutuaticum hoc item opera Hermodori caput ex iure Attico.

Sic

Sic enim Solonia lex apud Demost. contra Timocratem. Εἰ μέν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι· εἰ δὲ νύκτωρ ὁποιονοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα εἰ βούλοιτο. Ore Latino dixeris. *Si quis interdiu, super L. drachmas furatus, hunc rapere liceto ad XIuiros: sin nox furtum faxit, quaqua res ea fuerit, hunc occidere, & insectando conuulnerare, & ad XIuiros rapere, si velit, ius esto.* Neque dissimile ius in literis sacris, vt Exodi c. XXII.

SI NOX FVRTVM. FAXIT.

Fures alij nocturni, alij diurni. Fur nocturnus Plautino sermone *Dormitator*, Trinummi Sc. XIII.

----- *Mira sunt*

Ni illic homo'ſt aut dormitator, aut
ſector zonarius.
Loca contemplat, circumſpectat ſe-
ſe, atque ædeis noſcitat.
Credo ædepol, quò mox furatum
veniat, ſpeculatur loca
Magis. Lubido'ſt obſeruare quid
agat, ei rei operam dabo.

Sic in oculis omnium hodie illa: ſed ſcilicet Plauti manum eſſe---*Mira ſunt*
Ni illi homo'ſt aut dormitator, aut
ſector zonarius.
Loca contemplat, circumſpectat ſe-
ſe, atque ædeis noſcitat:
Credo ædepol quo nox furatum ve-
niat, ſpeculatur loca.
Magis lubido'ſt obſeruare quid a-
gat, ei rei operam dabo.

Dormitatorem dixit furem nocturnum, itaque *nox* ſiue noctu *venturum*, & ſibi *ea noctu agitandas vigilias*. Gl. vet. ἡμερόκοιτος. *Dormitator, fur nocturnus:* contraque fur diurnus, interdiarius. vt Gloſſ. ijſdem *Interdiarius*. ἡμε-

ῥοχλέπτης. Illud ἡμερόκοιτος ex Hesiodi lib. II.

Μή ποτε σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται. *Ne dormitator vacuet tibi callidus ædes.* Interdiu autem hoc capite verbum Xuirale fuiſſe patet imitatione iuris auctorum, vt l. IV. ad L. Aquil. l. II. De fur. baln. D.

Nox autem pro noctu identidem Plautus & Q. Ennius, vt annali XVII. apud Priſcian. lib. VI.

Si luci, ſi nox, ſi mox, ſi iam data ſit frux. Eaque de re & A. Gell. c. I. lib. IIX.

Proletarium verò & hoc, *illi* pro illic.

SI IM ALIQVIPS OCCISIT.

Si eum aliquis occîrit. Addit Solonia lex, vt prædictum, & conuulnerârit dum fugientem ſectatur.

Occirit autem cape cum teſti-

ficatione clamosa, l. IV. D. Ad L. Aquill. Clamorem illum Xuiri *ploratum* dixêre. Clamor ille vt, *Teneo furem.* Testificatio nempe hæc ista furem visum ac deprehensum arguit, & manifestarium facit, vt Petronij, *mulier iniecit vtrámque laciniæ manum, magnáque vociferatione, latrones tenere clamauit.* Aut fure pedem struente, clamor, *Tenete furem*, Plauti Aulul. Sc. XXVI. *Tene, tene.* Et Petronij, aniculæ sequutæ fugientem, *Prehende furem clamant.* Et in Leucippa. Ἐβόων τοῖς ἐντυγχάνουσι, λαβέσθαι. *Clamabant obuijs, Tenete.* Adtigit & Queruli scriba Sc. II.

—Debitumne poscis an furem tenes? Hinc *furti clamorem* Probus dixit apud interpretem Terentij ad Prolog. Hecyræ. Eodem & illud Poëtæ Ecl. III.

Et cùm clamarem—

Clamor itaque ille index furem videri. Visus autem fur iam

manifestus est. §. Furtorum. Institut. De oblig. ex del. Maro Ecloga III.

Non ego te vidi——

Vbi rectè Seruius furem designari ἐπαυτοφόρῳ siue manifestarium. Neque moram facit Pompon. l. VII. §. II. D. De furt. Non negat Pomponius visione furem fieri manifestum: sed ea mens Pomponij est. Qui furem vidit, metu autem mortis videre dissimulat, facit perinde, vt si nolit videre. Itaque nec censeri vidisse, etsi viderit. Ne rectè summa ingenia censuere leges illas sine missione pugnare.

IVRE CÆSVS ESTO.

Tamenetsi fur ille telo sese nullus defenderit. l. IV. §. I. Ad L. Aquill. L. LIV. §. II. De furt. D. Tullius pro Milone. M. Seneca excerpt. controuers. Declam. VI. A. Gell. c. XIIX. lib. XI. Idemque

ius & Solonium vt prædixi. Placitum & Carolo M. in Capitul. c. cxci. lib. v.

Sed ius ciuile, interpretamento suo lenijt hunc rigorem. Hinc dubitatio illa Pomponij. An caput hoc legis sit in vsu. Vlpian. lib. xiix. al. edict. sub titulo. Ad L. Aquilliam. Apud comparatorem legis Mosaicæ Tit. vii. Sic libri numerum ibi, & inscriptionem tituli, restituit Vlpiano, V. C. Petrus Pithoeus, *non homo sed liber*, vt Pegasus olim vrbi præfectus. Ibidem verò & à librariis labecula illa in verbis Vlpiani. *Eaque*, pro, *æquè*. Et *dubitat nunc*, pro *dubitauit*.

Iure itáque medio impune furem occidis nocturnum, sed *metu mortis* l. v. §. i. D. Ad L. Aquill. *Si parcere furi sine periculo tuo* non potuisti. l. ix. D. Ad L. Cornel. de sicar. *Si non occidere, quàm adprehendere, & magistratibus siue IIuiris offerre maluisti*. Vlpian. L. v. §.

II. D. Ad L. Aquill. Et in pariatione legis Mosaicæ loco prædicto. Indidemque Paull. V. Sententiar.

Ait obseruatio xv. lib. xiv. Nihil ergo inter furis Nocturni & interdiarij poenam iure ciuili interest, siue, nec hilum furis nocturni quàm diurni poena grauior est. ἐγὼ δέ τις ὀυ τειχοπείθης. Nam ecce rem. Dormitator iure ciuili occiditur impune, si comprehendi quitus non est, siue dum fugientem sectaris vt libro illo Vlpiani xiix. ad edictum: at interdiarius, ne sic quidem occiditur impune. Vna tantùm huius interficiendi causa, metus mortis, siue, si tenere volentem aut insectantem telo inuaserit, quæ & alius occidendi causa iusta. Itaque in Eclogis Digestor. lib. xv. Tit. II. est de fure interdiario, non adfici pœna, si quis hunc occiderit φόβῳ τοῦ μὴ ἀποθανεῖν. *metu mortis*. Et subnectitur. καὶ τὸν οἱονδήποτε, σίδηρον

ἐπιφερόμενον ἀκινδυνως τις φονεύῃ. *Sed & qualẽ qualem, qui ferro petit impune occideris.* Erraticè vulgarij interpretes. τὸν σίδηρον ἐπιφερόμενον dixêre. *Ferrum tenentem.* Expreſſius illud ἐπιφέρειν. Επιφέρειν σίδηρον. *Ferro inuadere.* Etiam Vlpianus lib. IIX. De offic. Procos. ſub titulo. De furib. Comparatione legis Moſaicæ Tit. VII. διακριτικῶς. *Sed ſi ſe telo fures defendunt, vel effractores, vel ceteri ſimiles, nec quenquam percuſſerunt. Percuſſerunt*, eſt, occiderunt aut conuulnerarũt. IV. itaque furi noxæ gradus. Ferre telum, inferre telum, vulnus telo inferre, & inferre necem.

Alia item viſione diarij furis leuior pœna, quam nocturni, per interpretationem. Noctuabundũ extra ciuitatem ſiue in agris, ſiue nocturnum populatorem, impune occidis, & ſi mortis metus tibi non fuit: interdiarium verò non item l. I. C. Quando liceat vnicui-

que sine iud. Et Eclogis Digestor. loco quem dixi, & Constantin. Tit. v. lib. vi. §. v.

Tertia item varietas, Diurni fures ordinarie: nocturni extra ordinem puniuntur. Vlpian. lib. IIX. de offic. Procos. Sub titulo De furib. l. 1. & seq. D. De fur. balnear. Et in pariatione legis Mosaicæ Tit. VII.

Et Solonio itaq; iure, & lege Xuirali, & iure ciuili siue iurisprudētia media, dormitatoris quā interdiurnij furis pœna grauior. Æquissima id quidem disparilitate. Ratio etcilla Vlpiani, in Demosthenis contra Timocratem. Ἐν γὰρ ἡμέρᾳ δύναταί τις καὶ βοηθοὺς παρακαλέσαι ἑαυτῷ, ἐν δὲ νυκτὶ οὐκέτι. *Interdiu enim aliquos auxilio imploret aliquis; noctu autem frustra.* Insuper autem & nox latibulum furi & effugium; Catull.

Nocte latent fures.

Ex Homeri versu Iliade III. κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω: ex quo &

Eurip. Iphigen. Κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ.------

Nox apta furi------

Itaque & in excerptis M. Senecæ Controuersiar. Declamatione vi. *Fur nocturnus non multũ abest à preditore.*

Sic & adulteri siue nuptiarum furis nocturni, pœna gratior quã interdiarij. L. iv. C. Ad L. Iul. de adult. Adulteri furib. gemini germani. κλέπται videlicet γάμων. *Fures nuptiarum* vt Phocylidi, & Agathiæ Epigramm. εἰς μοιχοὺς Et νυκτοκλοπίαι *nocturna furta*, pro adulterijs. Oraculis Sibyllæ. lib. III. Et *fur flagitij*, adulter. Amphitruone Plauti.

Manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagitij. Marcellus notauit in *Furtum*. Versus fugitiuus ex Scæna XIII. vt & alij complures ex eadem, noti citationibus quâ Marcelli, quâ aliorum. Prudent. Hymno x. περὶ στεφάνων.

Furta mœchorum calent. Et in

Cassiodori Etymologijs, Adulteri, *Nocticuba*.

LIIX.

DIscretæ furum pœnæ à Xuiris, non dormitatoris tantum & interdiarij, sed & manifesti & nec manifesti. Indicio est, principium capitis â Festo commemoratum, vbi de articulo *Nec. Si adorat furto, quod nec manifestum escit.*

Adorare furto accipiunt alij furto agere, alij de furto pacisci. Ego, *si quid mei iudicij est*, scripsisse aio Xuiros. *Si adulat*, aut, *Si adolat furto quod nec manifestum escit.* Si fallit & circumuenit furto nec manifesto.

Prisca & proba vox, *Adolat*, siue *adulat.* pro delenit & fallit. Glossæ. *Adolat* χολακεύῃ. Adol. Αἰνδέλεσις Lego *Adolatus* Δελεασθείς. Tullius II. Tuscul. versu ex Promethei Æschylo, de aquila

Promethei ſanguinem adpetente.

Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem. Q. Ennius.

Huic eſt animus propitiabilis, ita & adolabilis. Marcell. in *propitiabilis.* Repono.

———— *ira & adolabilis.*

Hoc primũ: deinde videamus & rideamus licet Marcelli acumẽ, interpretantis. *Adolabilem, ſine dolo.* Apage *Adolabilem aut adulabilem* iram dixit *Ennius pater* quæ facilè aduletur, ſiue placetur quouis palpulo.

Conueniens autem hoc furib. ſiue manuarijs adulare, & blandiri & eadem fallere, vt ille Ariſtophani Equitibus furunculus, coquis tinniens.

----- οὐχ ὁρᾷθ' ὥρα νέα, χελιδών

Videtis hoc nouum ver? ecce hirũdines. Coqui adſpiciebãt, lauernio ille, pulmentum ſibi manuatus, ibat.

Significatus hic & in ipſa verbi origine. Nam *adulari*, vt Feſtus

notat, *est compositum ex accedendo & adludendo.* Manticulatores illi accedunt & adludunt, siue adolant. Hinc itaque & M. Verrio lux in *Grassari, Grassari,* inquit, *antiqui ponebant pro adulari.* Vtrumque fuit accedere. Sed facto deinde significantiæ quasi diuergio, grassari acceptum pro impetu accedere, vt apud Verrium: adulari autem, pro blandè & cum palpo aduentare. Ergo & viarum obsessores dicti grassatores: at manticularios siue fures, adolare furto dixere Xuiri.

Sic & in theatra solentes accedere & adludere tagaces illi, vnde Euclionis Plautinæ iocus Sc. XXVI. in spectatores.

Quid ais tu? tibi credere certum'st. Nam te esse bonum è voltu cognosco.

Quid est? quid ridetis? noui omnes, scio fures esse hic complures,

Qui vestitu & creta occultant sese, atque sedent quasi frugi.

Sic ordinandi verſus illi. Caue ſis fides apud te qui reſcribillant. *Noui homines.* Et enim quia theatrum totum riſit iratus Euclio, fures omnes vocat vt conſcios, ſiue fures ope cõſilio. Ad hoc exẽplum leno iratus Plauti Perſæ Sc. vlt.

Qui illum Perſam, atque omneis
Perſas atque etiam omnes perſonas.
Male Di omnes perdant ------

Et Vatinius de quo Cicero. Veniſti iratus omnibus.

Adulatione itaque ſiue acceſſione & adluſione fallunt Lauernæ miniſtri, vnde & furtum quæuis fallacia, vt *belli furtum*, pro ſubſeſſa XI. Æneide, Et Salluſtio vt notat Seruius, & Amm. Marcellini lib. XXIII. & Pauſaniæ lib. I. κλοπὴ πολέμου. & D. Chriſoſt. orat. I. περὶ προσευχῆς. κλέμματα πολεμικά. vbi male interpretes & librarij βλέμματα.

Sed longulum hoc nobis iam ἐπεισόδιον. De ſemita in viam.

DVPLIONE DAMNVM DECIDITO.

A. Gellius c. xiix. lib. xi. *Furtis nec manifestis poenam imposuerunt dupli.*

Decidito hîc in ore Xuirali fuiſſe arguit creber eiuſdē verbi vſus in iure hodierno vbi de furtorum pactis, vt L. LXI. §. His etiā. & §. Quod verò. De furt. L. VII. §. I. De condict. furt. L. IX. §. Nunc videndū. De minor. D. l. XIII. C. De furt.

De manifeſtarij autē furis poena ex XII. tabulis A. Gell. Loco antedicto. *Liberos verberari addicique* &c. Tetigit & c. I. lib XX.

Grauiorem itaque poenam Romani legum patres manifeſtario furi, quam nec manifeſto ſcripſere, vt & veſtigia eorum premens deinde Prætor §. Præterea. Inſtit. D. obl. ex del. Meritò. Sic enim & furis manifeſtarij, & patrisfamilias ignauia plectitur. Vitium

furi manifesto siue deprehenso duplex, furtum & ignauia. Ergo nec infame furtum olim præter manifestarium. Suidas in κλέπτης. Τὸ παλαιὸν οὐ διεβέβλητο ἡ κλοπὴ, εἰ μὴ φωραθεὶς ὁ κλέπτων ὑπῆρχεν. *Olim furto nullum infamium, nisi cum fur deprehensus.* & testem sibi facit Aristophanem Pluto Quippini ludus ingenij, & industriæ periculum furatrina illa, vt Spartæ olim & Ægypti. T. Aristo A. Gellij c. XIIX. lib. XI. Tullius IV. de Rep. Marcellus in *Clepere.* Item Plutarchus, alij. De Ægypto quidem, artem ibi factitauisse clepticam, & nomina sua, deditos in hoc studio discipulos, dedisse πρὸς τὸν ἀρχιφῶρα siue *archifurem* aut *principem furum*; narratio est elegans Diodori Siculi lib. I.

Eadem visio & cur de furto pacisci fas ex XII. tabulis, vt L. VII. § Si paciscar. L. XVII. §. II. D. De pact. Cuiusmodi pactio Patrui Plauti-

næ. Sc. IIX. Hinc & ſtipulatio de parte rei furtiuæ, vt Euclionis Plautinæ, Sc. penult. Et Rudent. Sc. XXI. Stipulatio nempe illa non cælandi quidem, ſed nec indicandi furis L. XLIIX. §. Qui furem. D. De furt. *Qui furem non indicat, fur non eſt: cum multum interſit furem quis calet, an non indicet.* Pactiones autem hæ de furtis non ex ſuo ſibi aliquo capite legis ſed ex huiuſce c. verbo illo, ***Decidito.***

Ex fonte autem Attico, & hic riuulus Xuitisde furto manifeſto. & nec manifeſto Solonis nempe ea de re verbum ἐπ' αὐτῷ φόρῳ, aut ἐπαυτοφόρῳ. & κλέπος ibi fuiſſe non κλέμμα Iul. Poll. notat c. I. li. IIX. Tamenetſi in Demoſthenis contra Timocratem lex Solonia dixit κλέμμα.

LIX.

FVrta quoque per lancem & licium in XII. Tabulis. A. Gellius

c. XIIX. lib. I. *Ea*, inquit, *quoque furta quæ per lancem liciumque cõcepta essent, perinde ac si manifesta forent, X uiri vindicauerũt.* Et ineptus legiscrepta ille eiusdem c. x. lib. XVI. *Furtorum quæstiones cum lance & licio* in XII. *tabular. antiquitate* reponit.

Differt *quærere furtum per lancem & licium* in domo aliena: & concipere furtum per lancem & licium. Qui rem furtiuam quærebat comitatus seruo publico erat. Serui autem publici omnesque Brutiani licio præcincti. A. Gell. ex Tullio Tirone c. III. lib. XII. *Licium* quasi *ligium* interpres Terentij ad Andr. act. v. Sc. IV. Isidor. c. XXIX. lib. XIX. Glossæ. *Licium* τίμος. Lege μίτος. vt in Excerpt. *Licium* μίτος & *Licina* μίτινοι. Et μίτος Licia, Licium, Filum. & Licinus ἀνάθριξ. Cui coma quasi retorta licio. & si pectine hoc, aut ingenio capilli. Sic Marsyas *coma relicinus*, & *relicina*

frons Alexandri, Apuleij Florida I. & Theodorici Italiæ regis *cæsariem in verticem refugam crispari*, Sidonius dixit epist. II. lib. I. & Lucanus ------ *Æthiopum refugos à crine capillos* Hinc & *Licini boues qui cornua sursum versum reflexa habent*. Iun. Phylarg. ad III. Georg. Alij tamen *rocillinam*, alij reijcinam maluêre. Neutrum placet.

Idem verò *licium & limum* siue *limus*. A. Gellius c. III. lib. XII. Isidor. c. propen. lib. XV. *Limus*, inquit, *cingulum, quo serui publici cingebantur obliqua purpura.* Et c. XXXIII. lib. XIX. *Limus est cinctus quem publici habent serui. Et dictus limus quia transuersas habet purpuras id est limas.* Sic enim rectè ibi erit.

Tropicè itaque per licium est, per seruum publicum siue adhibito seruo publico: non autem (quæ Sex. Pompeij opinio est in *Lance & licio*) quod rei furtiuæ domi-

nus, eam alienæ domui quæsiturus, licio cinctus ipse intraret. Nec enim ipse per se dominus eam quæritabat, sed operâ serui publici. Vt apud Petronium Ascyltus rei furtiuæ dominus est, cællam verò non ipse, sed seruus excutit publicus.

At ipse quidem rei furtiuæ dominus *lancem ante oculos tenebat* (inquit Sextus) *propter matrumfamiliæ aut virginum præsentiam.* Ratio. *Ne quid* (cum L. Floro ex c. v. lib. II. dicam) *de virginitatis pudicitiæve integritate delibasse saltim vel oculis viderentur.*

Hoc ergo quærere furta per lancem & licium est: at concipere furta per lancem & licium soliti vecticulariæ vitæ discipuli, aut venerij nepotuli, & noctium furunculi, tanquam rei furtiuæ domini essent, cum lance intrantes ne agnoscerentur: cum licio autem, aliquo seruulo aut clientulo suo, quasi mantello serui publici,

non furta quærere, ſed facere concupientes. Hæc itaque ſic quærendi furti via, eadem ad furtum faciendum ſemita. Sapienter itaque Xuiri grauem his furunculis pœnam ſcripſere, ſiue eãdem quæ poſita eſt furib. manifeſtariis. Sapientiùs lex Aibutia ſcrutationes ipſas per lancem & licium ſuſtulit. A. Gellius c. x. lib. xvi. Hac enim quaſi radice exciſa, ipſi exaruere ſtolones vltro, furta per lancem & licium.

Ita requiſitionibus antiquis, furtiſque per lancem ac licium deſitis, perquiri cœptæ res furtiuæ, tali formula ſiue ordine. Cum teſtibus veniebat quæſiturus rem furtiuam, vt ſi negata eſſet ea res, fieret antiſtatio, & raperetur inficiator ad Prætorem, ſequeretur deinde ſcrutinium. Re ſic inuenta, furti concepti actio fuit. §. Cõceptum, Inſtit. De oblig. ex del. Et ibi Theophil. §. Pręterea. Paull. Sentent. Tit. penult. lib. II. Plau-

tus Patrui Sc. IX. Ad hanc requiſitionem ſpectat Tullianum illud Catilinariæ III. *Vt nullum in priuata domo furtum vnquam ſit tam palam inuentum, quàm hæc tanta in Rempubl. coniuratio, manifeſtò inuenta atque deprehenſa eſt.*

Nulla eiuſmodi formula requiſitionis & furti concepti iure hodierno eſt d. §. Præterea.

LIX.

TVlere & de arboribus alienis furtim cæſis Xuiri, quod Plinius caput non legitimis verbis ſed ſuis extulit c. I. lib. XVII. Mentio eſt & L. I. Arbor. furt. cæſ. l. XXIIX. §. Colonus De iureiur. D.

Itaque profluum ex hoc fonte Prætoris edictum, & condemnatio in duplum. l. VII. §. vlt. D. Arbor. furt. cæſ.

Vſi hoc iſto capite legis Xuiri verbis *cædere*, *ſubſicere*, *cingere*,

quorum interpretatio est l. v. & vii. D. Arbor. furt. cæs. Cædere nempe est vt securi, subsicere vt serra, cingere deliberare, decorticare, deglabrare. Ecloga Digestor. ζωννύειν, τὸ περιελεῖν τὸν φλοιόν.

Pœna huic delicto nummaria ex lege, æris xxv. in arbores singulas siue asses xxv. Plinius loco dicto. Sed iure ciuili noctu arborum cæsarum capital: interdiu cæsarum duplio, quemadmodum elicere ex Paullo est occasio. Senten. Tit. xx. lib. v. Tit. penult. §. Siue seges. lib. ii. Hoc & T. Caio in mentem fuisse dixerim. l. ii. D. eod.

Omnium itaque arborum nocturna cæsura, latrocinium: sed vitium maximè d. l. ii. D. Et legib. Georgicis c. De arborib. Et Ecloga Digestor. lib. lx. Tit. De arboribus. Ergo & significanter Maro Ecloga. iii. De vitium incisione agens *malam falcem* dixit, quasi maximè capitalem.

L X.

ETiam de tigno iuncto actio legitima, siue ex lege Xuirali.

TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVS.

Recitat Festus in *Tignum.* παρέφερεσι & Vlpianus l. I. §. I. D. De tigno. iunc. Tetigere & identidem alij vt l. VII. §. Cum in suo. De adqui. rer. dom. l. VI. Ad exhib. l. XCIIX. §. vlt. De solut. l. XXIII. §. Tignum. De rei vind. D. & §. Cum in suo. Institut. De rer. diuis.

VINEÆ'QVE CONCAPIS.

Concapis, vt Festo, *Procapis.* Alij aliter extulêre, vt *concaput*, *cum capite*, *concapet*, *concapit*,

capit concapes, concaptum, &c.

Οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος,
οὐδ' ἴα γῆρυς

*Namque sonor non idem, aut vox
est omnibus una.*

Sed est εὔηθες, τὰ εὐήθη, λίαν
ἐξετάζειν.

Tignum quidem vel ædibus vel vineæ iunctum. Tignum vineæ materia omnis vineæ necessaria, puta, perticæ, pedamenta. L. I. §. Tigni. D. De tig. iunc.

Expressim autem Xuiri ne cōcapis vineæ solueretur. Nam grauius ea solutione, vinea læditur quàm alius materiæ detractione. Concapis nempe palus siue pedamen, pedamentum, statumen, ridica, pertica non quæuis sed quæ iuncta capiti siue radici vineæ: vt Iun. Columella pingit c. XIII. lib. IV. De re rust.

NE SOLVITO.

Quanquam furtiuus ille ti-

gnus, non tamen soluitur, ne aut ædium ruinis vrbis facies deformetur, aut vinearum cultura turbetur. d. l. 1. §. 1.

Sed domino tigni in eum qui tignum mala fide iunxit, dupli actionem lex dedit, quod duplum totum pœnæ, quippe in furem l. II. D. eod. qui autem bona fide iunxit, duplam luit non merè pœnalem, sed mixtam, siue simplam rei, simplam pœnæ si tignum furtiuum est l. XXIII. §. pen. D. De rei vind. sin tignus ille furtiuus non est, actio competit in factum Prætoria ad æstimationem siue pretium tigni l. XCIX. §. vlt. D. De solut.

Turbat Tribunianus Institut. §. Cùm in suo. Vers. Quod si aliqua. De rer. diuis. cum ait. *Si non fuerit duplum iam consecutus.* Nec enim de quouis domino ita rectè, sed domino tigni furtiui: de non furtiui diceret. *Si non fuerit simplum iam consecutus.*

Euariat autem ius tigni furtiui iuncti & alio articulo. Nempe. In eum qui tignũ furtiuum ſciens ſiue mala fide, ædibus vineæve ſuæ iunxit, actio ad exhibendum eſt: in eum qui bona fide, non item. d. l. xxIII. §. pen.

Ad exhibendum cape non vt eximat tignum ac præſtet, ſed vt damnetur in id quod intereſt, quia dolo malo deſiit poſſidere d. l. I. §. vlt. Deſiit poſſidere eo ipſo quia iunxit. Non enim qui ædes poſſidet vniuerſas iccirco & tignum, & res ædium ſingulas poſſidet. l. xxx. §. I. De adquir. poſſ. l. xxIII. §. vlt. De rei vind. l. II. §. Cum Stichum. Pro emtore. l. xxIII. §. I. De vſucap. l. IIX. Quod vi aut clam. l. vII. §. Illud. De adqui. rer. dom. D.

QVANDOQVE SARPTA donec demta erunt.

Feſtus adtulit in *Sarpuntur.*

Eidemque hoc in mente cum explicaret quid *Sarpta vinea.*

Sarpere aut *sarpire* vineam est putare vt Festus: at Papias, ὀνοματοθήρης, ignobilis, *sarpere* interpretatus, *herbas sarrire, exstirpare, eligere.* At enim hoc non *sarpere* sed *runcare* siue *roncare* aut *roncinare* est. Isidor. c. XI. lib. XVII. c. propen. lib. vlt. Glossæ vet. vbi & malè *Tribula*, τυχάνη, pro ῥυκάνη. id est. *Roncina.*

Aliorsum Sidonius Apollinaris epist. VI. lib. I. *Subulcos runcantes*, siue, *roncantes* dixit, non sarrientes aut altum stertentes siue, ῥέγχοντας, siue, Plautinè dixerim, *naso magnum clamantes* accipiens, sed bucinantes. Bucinare proprium propitium munus subulci. Varro Terent. c. IV. lib. II. de re rust. *Subulcus* porcellos *debet consue facere, omnia vt faciant ad bucinam. Primò cũ incluserunt, cũ bucinatũ est aperiũt* &c. Et mox *Ideo ad* XII. *conuenire dicũtur, vt siluestri loco*

disperſi, ne diſpereant. In menda hic locus. Libri veteres benè. *Ideo ad bucinam conuenire docentur, vt ſiluestri loco*, &c. Feſtiuiter autem Sidonius non bucinare, ſed *runcare* dixit. Nam ſubulcorum bucinatio illa, quaſi narium quædam runcatio ſiue runcinatio, ſiue rhonchus. Et viceuerſa naribus roncare quaſi bucinare eſt. Itaque & Iul. Pollux lib. II. c. περὶ ῥινός. ἀνατέτρηνται δὲ, inquit, οἱ μυκτῆρες. δύο αὐλοῖς. *Foratæ nares duab. tibiis* Et Apuleius lib. de dogmate Platonis *In media namque regione oris nares natura conſtituit, quarum ſymphonia odor cum ſpiritu commeat*. Ἀσύμφωνοι, qui pro *ſymphonia*, *ſyphonibus* repoſuêre. Apage. Nares ſymphonia, vt pares tibiæ συνῳδιον. Diomed. c. IV. lib. III. Parium tibiarum qui picturam viderit, non hæſitabit narium eſſe quaſi pares tibias, &. συνῳδιον.

Ita? inquies, à Decem viris an

regibus, ad runcatores Sidonij? Dicam quod Tullius olim. *Rubeo (mihi crede) sed iam scripseram, delere nolui.*

Voluere Xuiri *Quandoque* siue quando cunque aut à quo tempore sarpta siue putata essent vineta, non solui *concapis*, siue non vindicari tignũ, donec demta siue vindemiata essent: vt neque tignum ædib. iunctũ vindicatur, nisi cum dirutum casu aliquo ædificium.

L X.

FRVGEM.

ORsi caput hoc Xuiri, *Frugem aratro quæsitam* ex Plinio sic coniecturam feceris non malè. Nam ait c. III. lib. XIIX. *Frugem aratro quæsitam furtim nocte pauisse ac secuisse, puberi* XII. *tabulis capital erat: suspensumque Cereri necari iubebant, grauius quam*

in homicidio cõuictum: impuberem Prætoris arbitratu verberari, noxiàm ve duplione decerni.

ARATRO QVÆSITAM.

Πεειχοπή, *aratro quæsitam.* Est enim & aliqua frugis non aratro quæsita, vt *quod ex vino, siluis cæduis, cretifodinis, lapidicinis capitur.* L. LXXVII. D. De verb. signif. Scripserat Paullus. *Verũ & quod ex vinea.* Librarij. *Verum & quod ex vino.* At illud lapidicinis rectũ est. Glossæ, *Lapidicina,* λατομία. λιτοτομεῖον, *Lapidicina.* λιθοξόος, *Lapidicinarius.*

Sic est postcapite LXXVII. *Qui fruges excantasit*, siue quæsitas aratro, siue non quæsitas. Generatim Xuiris frux, cui cui modi fructus, vt item aliis sæpe. Itaque & frugiferæ arbores dictæ. Et T. Liuius lib. XLI. *Dulcedine*, inquit *frugum, maximeque vini.* Glossæ in excerptis. *Frugis,* καρπός. Sic &

in actione aquæ pluuiæ arcendæ, frux generatim fructus d.L.LXXVII. Speciatim fruges, frumentum & legumen. d.L.LXXVII.

QVI FVRTIM NOX PAVERIT.

Bene, *furtim*, & *nox*. Poteſt enim furtim eſſe & interdiu, viceque-uerſa noctu & non furtim.

Exerrant qui de paſtu pecoris ſeorſim caput fecere. Xuiri caput fecere vnum vtrique delicto.

Paſtus pecoris eſt alterplex. Nã aut dominus immiſit ſegeti pecudem, & actio legitima, ex hoc iſto capite datur, cum ait. *Pauerit*, *ſecuerit*. Patet l. XIV. §. vlt. D. De præſcr. verb. aut ſponte pecus depaſta ſegetem alienam eſt, & actio datur de pauperie, ſiuè, ſi quadrupes pauperiẽ. &c. Hæc enim pauperies quæ in legibus Georgicis παράδα: illud damnum, ſiue, ζημία.

SVSPENSVSQVE CERERI.

Rectè in Plinij libris *Suspensumque Cereri*, non vt Critici rescribillant. *Sacratumque Cereri.* Duo enim hæc voce vna complexi Xuiri. Quia suspensus ille Cereri, eo ipso & sacratum Cereri.

Suspensum nempe reste, infelici arbori, vt in carmine Iluirali. *Arbori infelici, reste suspẽdito.* Tullius pro C. Rabirio. T. Liuius lib. I. *Suspensum*, inquit Marcellus, *altè ligatum.* dixisset, *cruci adligatum* Silius lib. I.

Hunc postquam diro suspensum robore vidit.

Ausonius Cupidine crucifixo.

Huius in excelso suspensum stipite amorem Ita *suspendiosi laqueus* Plin. c. IV. lib XXIIX.

Abdias de S. Andreæ cruce. *Vt ligatis manibus & pedibus suspenderetur, &c.* Sic & *non lugeri suf-*

pendiosos, l. VI. §. III. D. De his qui not. inf. rectè interpretemur suspensos cruci. Itaq. sequitur. *Nec qui manus sibi intulerunt*. Et quod est l. VII. §. I. D. Ad L. Iul. pecul. *In furca suspendisse*. Scripserat haud dubiè Vlpianus. *In cruce suspendisse*. Vertit Tribunianus propter sublatum lege Constantini crucis suppliciũ. De qua Sex. Aurel. Victor in Constantino. Sozomenus eccles. histor. c. IIX. lib. I. Niceph. c. XLVI. lib. VII. De Augustin. Quæst. vet. testam. Et cum L. XXIIX. §. penult. D. De poenis. scripsisset Callistrat. *Cruci figendos* Tribunianus fecit, *furcæ figendos*.

PRÆTORIS ARBITRATV.

Qui Sacratum pro suspenso rescripsere, ijdem neq. rectè Prætorem hoc legis capite accepere Cõsulem. Prætor in XII. tabulis Xuir. vt præmonui c. XI.

NOXIA'MVE DVPLIO-
ne Decernito.

Neq; illũ melius ſirẽpſe illi acumine repoſuêre. *Noxa've duplionem decerni.* Rectum eſt in Plinij libris. *Noxiámve duplione decerni.* Vt alia eiuſdem ſortis in ore Xuirali.

LXI.

SI SERVVS.

NOxales actiones Xuiris caput vnum, quod, αὐτολεξεὶ quale fuerit, patet Vlpiani interpretamento l. II. §. I. D. De noxalib. Tangitur & §. Sunt autem. Inſtit. Eod.

Caput autem hoc in tabulis poſtremis fuiſſe, aliqua coniectura ex inſcriptione L. CCXXXIIX. De verb. ſignif. Ex T. Caij lib. VI. ad

legem duodecim tabular.

SCIENTE DOMINO.

Retulit hoc Xuirale caput lex Aquillia, ſed verſum, Nempe, *Domino inſciente*, Conciliat d. l. II. §. I.

FVRTVM FAXIT.

Ex lege antiqua noxalis actio furti: ex Aquillia noxalis, damni iniuriâ. §. Sunt autem. Inſtit. De noxalib.

NOXIAMVE NOCVERIT.

Interpretatus Caius d.l.ccxxxIIx.

DOMINVS NOXÆ DEDITO.

Sex. Pompeius in *Noxæ Cum*, inquit; *Lex, iubet noxæ dedere, pro peccato dedi iubet. Lex*, antiqua

siue Xuiralis. Glossæ. εἰς ἔγκλημα ἐκδοθείς, *Noxa deditus.* εἰς κόλασιν ἐκδοθείς, *Noxa deditus.*

Est itaq. propriè noxia delictum noxa delicti poena. Rectèq. hoc Grammatici vt Seru. ad Æneid. 1. Cornelius, interpres Papinij, alij.

LXIII.

Ex XII. tabulis in edictum Prætoris migrauit noxalis actio de pauperie, siue, Si quadrupes pauperiem fec. dic. l. 1. §. 1. D. Si quadru. paup. Et. §. 1. Institut. Eod.

SI QVADRVPES PAVperiem faxit.

Hoc principium huic capiti fecisse Xuiros patet legib. antedictis

Mater autem & huic de pauperie legi, lex Solonia, siue axo-

nes Solonis. Solo enim & ipse tulit, περὶ βλάβης τετραπόδων. *De pauperie quadrupedum.* Plutarch. in Solone. Testis & Paullus Sent. Tit. XVII. lib. I. Vterque admonet de cane cautum fuisse à Solone nominatim. Ait Plutarchus scriptum à Solone, κύνα δακόντα παραδοῦναι κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον. Canem qui momorderit, noxæ dedi, reuinctum collario siue boia longa cubitos IV. Ad hanc Solonis legem Thrasyllus ludens apud Xenophontem fine lib. II. Rer. Græcar. οἵγε, inquit, ὥσπερ τοὺς δάκνοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασι. *Qui quidem vt canes mordicibus petentes, boia vinctos noxæ dedunt.*

Κλοιὸν, *collarium* aut *Boiam* dixi. Glossæ, κλοιός. *Boia*, *Eculeum.* Κλοιόν περιτίθημι. *In boia.* Lego *In boiam do.*

De quadrupedum pauperie est & Platonia lex lib. XI. de Legibus, in eáque & ipsa expressim de

cane, vt & legib. Georgicis. c. περὶ τραίδας ζώων.

Democriti autem lex, animalia quæ pauperiem fecerint non noxæ, ſed neci dedere iubet. Κτείνειν χρὴ τὰ πημαίνοντα ζῶα παρὰ δίκην, πάντα περὶ παντός. *Neci deduntor animalia omnia, quæ noxam cuicuimodi nocuerint.* Stobeus Serm. cxlv.

Nominatim autem & de ſue, Salaminia lex. Εὰν εὑρεθῇ σῦς ἀλλότριον ἀπόσπορον βοσκομένη, ἐξοδοντίζεται. *Si inuenta ſus depaſcens ſegetem alienam ; edentatur.* Ælian. de anima. lib. c. xlv. lib. v. Scholiaſtes Homeri ad XIIX. Odyſſ.

Atque anteriùs his riuulis, æquitatis Oceanus lex Dei, vt Exodi c. XXI. & ſeq.

LXIV.

TVlêre & de damno iniuria Xuiri. Facit fidem Vlpianus L.1. D. Ad L. Aquill.

RVPITIAS.

Sex. Pomp. *Rupitias*, inquit, *in* XII. *significat Damnum dederis.*

Veriùs forte Xuiros dixisse *Rumpsit*. *Rumpsit*, nempe ruperit iniuria. L. XXVII. §. Serui autem D. Ad L. Aquill. *Si quid vsserit, fregerit, ruperit iniuria.* Pro, *corruperit*. d. l. XXVII. §. Inquit lex. Rumpsit autem vt ruptum testamentum. Pandectæ Pisani, Imitatione legis XII.

Rupitias autem illud non titiuillitij esse videtur, sed corruptela verbi *Rumpsit*. Glossæ quidem sed pugnante significatu. *Rupiat*,

ἐξάπλειὀπιπτίῳ. Rupiam ῥαπεύς. Forte an Rupio.

SARCITO.

Sex. Pomp. *Sarcito in* XII. *tabul. Ser. Sulpicius ait ſignificare damnum ſoluito, præſtato.* Et in Sarte. *Sarcire,* inquit, *eſt integrum facere.*

L X V.

SI INIVRIAM ALTERI FAXIT.

COmmemorat ex XII. tabulis, ἀυτολεξεὶ, & interpretat A. Gellius c. I. lib. XX. Indicio eſt. & Iul. Paullus lib. Singulari, ſub titulo De iniurijs. Legis Moſaicæ Pariatione Tit. II. *Iniuriarum,* inquit, *actio aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima ex lege duodecim tabularum. Qui iniuriam alte-*

ri facit quinque & viginti sestertiorum poenam subit. Quæ lex generalis fuit libero trecentos seruos CL. *pœnam subito sextertiorum.* Cònceptus Paullus mala librarij manu. At vera ei manus & mens. *Qui iniuriam alteri facit, quinque & viginti sestertiorum pœnam subit. Quæ lex generalis non fuit. Nam qui os fregit, si libero, trecentorum: si seruo,* CL. *pœnam subijt sestertiorum.* Aliter neque rectè Obseruatio XXXI. lib. XIX. Nõ itaque purus putus oris Xuiralis sonus ille ex Paullo. *Qui iniuriam alteri facit, &c.* Sed qui ab A. Gellio.

Rectè Paullus. *Quæ lex generalis non fuit.* Nec enim de omni genere iniuriarũ lex illa. Pari διαστολῇ & A. Gellius. *Non omnino,* inquit, *omnes iniurias Xuiri ære isto pauco diluerunt.* Ex mox. *Sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modò, verum etiam seruis factas, impensiore damno vindicauerunt. Quibusdam autem in-*

iuriis talionem quoque adposuerunt,&c.

Iniuria genus: Species huic generi multæ. Damno iniuria, iniuria conuicij, iniuria mali carminis, iniuria atrox, vt ossis fracti, & membri rupti. Hoc itaque caput lxiv. de iniuria petulantis conuicij, vt locutus Velleius lib. II.

XXV. ÆRIS POENÆ SVNTO.

XXV. asses, minuta pœna, & pauculum æs, vt nunc quidem est: sed tunc quidem *hæc ipsa assium paucitas, graue pondus æris fuit. Nam librariis assibus ea tempestate populus vsus est.* A. Gellius c. I. lib. XX. Sic & ossis fracti *nummariæ pœnæ, quasi in magna veterum paupertate. Iustinian.* §. Pœna autem. De iniur. Nummariæ pœnæ nummis siue assibus taxatæ. Denique *omnes antiquorum*

pœnæ, pecuniariæ. Seruius ad Æneid. I.

LXVI.

EST & malum carmen, iniuria: de qua nunc caput hoc legis Romanæ ex Tullij IV. de Repub. *Nostræ*, inquit, *contra* XII. *tabulæ, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiúmve alteri, &c.* Profert D. Augustin. c. IX. libr. II. De Republ. Mentionem huius capitis iecere & alij, vt Paul. Senten. Tit. IV. lib. V. Arnob. lib. V. Et Cicero idem Tusc. IV.

SI QVIS OCCENTASIT

Sex. Pompeius in *occentasit.* Qui tamen alucinatus videtur, *occen-*

tare interpretans, *conuicium facere* Nec enim *occentare* hoc, ſed *occentare malum carmen*. Itaq. Plautus Caſina. *Occentare Hymenæum* dixit & Mercatore, Item Perſa, *Occentare oſtium.*

MALVM CARMEN.

Cum 'Ἐπιτάσεις *malum carmen*, verbũ legitimũ Itaq. Arnob. lib. 4. Carmẽ inquit, *malũ cõſcribere quo fama alterius coinquinetur & vita, Xuiralib. ſcitis euadere noluiſtis impune.* &c. Horat. Sat. 1. lib. 11

Si mala condiderit in quem quis carmina ------- Et epiſt. ad Auguſtum.

------------ Quinetiam lex

Poenáque lata malo quæ nollet carmine quemquam Deſcribi------

Neque dixeris non neceſſaria illa 'Ἐπίτασις, nam ſequi, *quod infamiam faxit, &c.* Hoc enim expreſſere ſic Xuiri, quia & aliud malum carmen eſt, carmen magicum. De quo item Xuiri. *Qui ma-*

lum carmen incantasit. Plin. c. II. lib. XXIIX.

SIVE CONDIDISIT.

Sic in ore Xuirali fuisse non obscurus index Tullius IV. Tusc. Horat. Sat. I. lib. II.

QVOD INFAMIAM Faxit flagitiumue alteri.

Hinc Vlpiani sermo de probro & opprobrio L. XLII. De verb. signif.

CAPITAL ESTO.

Vt hodieque est L. vn. C. De famos. libel. At intermedio tempore poena legis Corneliæ fuit infamia l. v. §. si quis D. De iniur. Male hanc legem accepere aliqui de lege Iulia. Legi autem Corneliæ quasi interpretamentum de poena illa SC. d. l. v. §. II. & l. VI.

D. eod.

Factum hoc ætate Augusti S C. suspicor ex C. Suetonij Augusto c. LV. Cognitionem c. illo accipe in Senatu vt Tiberij c. XXIIX.

Flos autem iuris interpretum ad Paulli sentent. Tit. IV. lib. V. & capital & fustuarium à Xuiris poenas fuisse huic delicto, quia Cornutus in Persij Satyram I. dixerit, *Lege* XII. *Tabul. cautum esse, vt fustibus feriretur, qui publicè inuehebatur.* Puto non alium Cornuto fundum esse ab illo Flacci epist. I. lib. II.

------ *Vertere modũ formidine fustis* Vbi & Porphyrio *Ideo*, inquit *quia fustuarium supplicium constitutum erat in auctorem carminum infamium.* Eodemque tinnitu & interpres quiqui est, siue cõmentator, nec vetus planè, & Prophyrionis & Acronis sublingio. Acro autem aliter fustem accipit.

------ *Vertere modum formidine fustis* nempe vt canes qui fuste ab-

ſterriti diſcauēt malo. Vnde Plauti luſus Amphitr. Sc. I. ------

Si ego fuſtem ſumſero. Et Aulul. Sc. I. -------

Si fuſtem cepero. Sed magis ex Horatij mente Porphyrio --- *Formidine fuſtis*, metu fuſtuarij ſupplicij. Itaque & Flaccus ipſe anterius dixit ----- *Lex eſt Poenaque lata* ------ Ne rectè ad Olympiaci decretum detorſere aliqui. De quo interpres Ariſtophanis ad Acarnan.

Neque tamen vt princeps ille iuris interpretum perſuaſus, nomen fuſtuarij expreſſum in lege fuit, ſed *capital.* Hoc ipſum autem fuſtuarium eſt. Fuſtibus nempe cædi ad necem.

Neque refert non recenſeri capitale hoc ſupplicium à Paullo Sentent. Tit. XVII. lib. V. Nam tunc infrequens.

Hoc autem fuſtuarium ſupplicium, pœna illa more maiorum qua ſic Nero externatus apud Sueton.

Sueton. c.xlix. vbi comperisset tale id esse genus pœnæ. *Nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* Ex Tranquillo idipsum & Victor in Nerone. Plenior Eutropius lib. VII. *Quæ,* inquit, *pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis vsque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo. Virgis cædi,* ῥάβδοις αἰκίσασθαι. Plutarcho in Gracchis. Per publicum ductus Aur. Cassiodoro, *Pompatus.* Licinnio scribæ veteri, *circumlatus,* vt Marcell. habet in *Patibulum.* Vbi rectè est. *Circumferuntur.* Læua manu rescribere aliqui aggressi *circumferunt.* Ipsi *circumferebantur,* flagellis nempe ac stimulis coacti procedere. At furcam circumferebant, siue, περιεχόμιζον. Glossæ in *Furcifer.*

Furca illa, qualis hodiéque. Claret descriptione Dionysij lib. VII. Plutarchi Coriolano. Et Ro-

manicis Quæst. lxx. Suida in, Furca.

Virgæ, non ſcopæ ſed bacilla de faſcibus lictorum, quæ, δεσμαὶ ῥάβδων. Epicteto Arriani c. x. lib. iv. Plutarchus Romulo, αἵ τε ῥάβδοι, βάκυλα καλοῦνται. Eæque Neroni *virgæ aureæ* apud L. Senecam c. i. lib. i. de Tranquill. Iniuria laureas illas fecere aliqui. Neroni aureæ faſcium virgæ, dignæ principe domus aureæ. Vt Honorio etiam poſtmodo *faſces aurati* apud Claudian. ſexto conſulatu. Cædendus itaque his Nero virgis, ni occupauiſſet.

Cæſi vero ſub furca illi rei tanquam ſerui pœnæ, ſiue ſeruilem in modum, vt in Nouel. Maioriani A. De curialib. *Si ſeruus eſt, fuſtuario ſupplicio interficiendum ſe eſſe cognoſcat.*

Sed fuſtuarij modus duplex. Nam aut capital fuit, vt prædixi: aut caſtigatio ſiue admonitio. Caſtigati nempe ſubinde ſiue admo-

niti liberi fuſtibus, ſerui flagellis. vt l. x. §. 1. Et l. xxiix. §. 1. De pœnis. l. xiii. §. vlt. De iureiur. Et Aurel. Caſſiodori formula x. lib. iv. vlt. lib. iix. ii. lib. ix. xi. lib. xi. Sic ῥάβδοις νουθετεῖν, *virgis admonere*. Plutarchus Romanicis Quæſt. xxcii.

Cæcilij ſunt qui non diuiſêre fuſtuarium paganicum, à militari. At oportuit. In paganico bacilla, ſiue virgæ faſcium, & lictores vt prædixi: in militari vites, & milites ipſi. Quod depingit fuſtuarium Polybius libr. vi. L. Florus Epitoma lvii. De P. Scipione. *Quem*, inquit, *militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet vitibus: ſi extraneus virgis cecidit.* Rectè atque ordine Scipiades ille. Vitibus nempe, vt militari fuſtuario: virgis, vt paganico.

Vt autem præoſtendi. Paganicum fuſtuarium eſſe duplex, capital vnum: alterum caſtigationem: ſic & militare aut capital vt Poly-

bianum illud.quod & Tullius tangit Philipp.III. aut castigatio vt illud C. Taciti annali I. vbi de centurione, *Cedo alteram*.

Vtriúsque & paganici fustuarij & militaris inuentor Superbus Tarquinius, si quidem Eutropio fides lib.I.Suidam in *Superbus*,Eutropio adstipulatorem fecere,oculis non vsi suis. Neque, μάςιγας ξυλίνους ille, sed ξυλίνους κλοιοὺς dixit.

LXVII.

OSsis fracti atrox iniuria. A. Gell. c.I. lib.xx.

QVI OS FRAGIT.

Ita concepisse Xuiros vestigia non obscura ex Paulli libr. singulari,sub tit.De iniuriis, legis Mosaicæ Pariatione Tit. II. Tangit caput idem A. Gell. loco antedi-

cto, & Iustinian. §. Pœna autem. De iniur.

Fragit autem fregit. Frago illi vt tago. Et fragit vt tagit, non tegit aut tetigit.

SI LIBERO TER centum.

Adlusit hoc Xuirale iussum scriba Queruli Sc. vlt. in legibus parasiticis. *In loxu autem & ossib. motis, vsque ad deuncem solidi iniuriarum commodum placuit extendi. Iam porrò de ossibus fractis placuit conuenitque, vt in minutalibus solidus, in principalib. verò ossib. argenti libra protenus traderetur, &c.* Vt in veterum paupertate, ossis fracti *nummaria* pœnæ: sic in parasitico regno *argentaria*. Et iniuriarum commodum dixit parasiticè. Nam à regib. acceptæ iniuriæ, parasitis commoda.

LXIIX.

ATrox iniuria & membri rupti ſiue corrupti, & pœna talio. A. Gell. c. 1. lib. xx.

SI MEMBRVM.

Verrius apud Feſtum in *Talio* αὐτολεξεὶ caput hoc offert. *Si mēbrum rupſerit, nei cum eo pacit, talio eſto.* Aliter Fauorinus A. Gellij loco quem dixi. *Si membrum rupſit meum, è pacto talio eſto.* Dixit Fauorinus παρθεραπεύων. *Niſi memoria me fallit.* Certè fefellit. Nam ille quidem certè tinnitus Xuiralis non eſt, *meum è pacto.* Benè itaque iuſſum hoc. *Si membrum rumpſit, nei cum pacit, talio eſto.*

RVMPSIT.

Rumpſit, rupſit, rupit, pro

corrupit. l. xxvii. §. Inquit lex. D. Ad L. Aquill. Ruptura itaque est, quæ scriba ille Querolı dixit, plagas, vulnera, loxum, ossa mota.

TALIO ESTO.

Ex Attica hoc lege hi Solones. Nam & axo aliquis de talione. Laërt. in Solone. Placuit talio & Leoni A. Nouel. xcii. Et apud Constantin. Tit. 1. lib. vi. Talio & Indorum legibus. Strabo lib. xv. Sed fons talionis lex diuina Exodi c. xxii. De quo fonte Isidor. Pelusiota. epist. cxxxiii. lib. ii.

Talio rectè Verrio interprete, *par vindicta*. Fabio Declamatio. ccclxxii. *Iniuriæ vltio*. Eadem & *similitudo supplicij* l. vlt. C. De accusat. l. vlt. De calumniatorib. C. Isidor. c. xxvii. lib. v. Eadem & *pœna reciproci*. l. ii. C. De exhib. reis. Sic *eam se sententiam subire*. l. vii. C. De vi publ. *Eamse* eam ipsam. Malè ibi *Eam se*. Glossæ. *Ta-*

lio ἀντιπήρωσις. Priſcianus vero interpretatus talionem, *vicem* c.1. lib.v. Vt vices ſuperbas dixit Horatius. oda xxiix. lib. 1. Mamertin. Panegyr. Iuliani. *Vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus.* Fortitudinem ipſam, cuius eſt vicem ſiue vindictam ſiue talionem expetere.

Offert autem ſe dubietas illa. Inquit M. Cato lib. iv. Orig. vt Priſcian. adfert lib. vi. *Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus agnatus vlciſcitur.* At in lege neque oſſis fracti talio, neque agnati proximi talione vltio. Arbitrati aliqui de alius gentis, non de populi Rom. lege Catoni ſcriptum hoc: veriùs ex iure ciuili ſiue interpretamento legis hoc promtum à Catone, & iuris auctores ita de proximo furioſi agnato reſpondiſſe, ei eſſe ius pro furioſo perſequi talionem. Forte an autem & in furioſo non membri rupti ſolum, ſed & oſſis fracti talio, vt pœna

grauior sit per consequentiam siue interpretationem.

LXIIX.

NE VNCIARIO FENORE amplius exercento.

SIc orsos de fenore vestigium ex C. Taciti. est annali VI. *Nam primo* inquit, XII. *tabulis sanctum Ne quis vnciario fenore amplius exerceret &c.*

Retulit sanctionem illam post M. Duillius Tribunuspl. Notat T. Liuius annali VI.

Sanctum autem hoc legis caput quadruplione siue quadrupla. M. Cato prooemio de re rust. Ascon. in Diuin.

Postmodo tamẽ arbitraria feneratorũ multa æstimio siue æstimatione populi, quam exigere soliti ædiles curules. Patet T. Liuij

annali VII. X. XXXV. Plin. c. 1. lib. XXX.

LXX.

VEtuere Xuiri rem litigiosam siue controuersam, siue de qua lis contestata esset, in sacrum dedicari, dupli poena proposita. Cauisse hoc ita Xuiros indicio est L. vlt. D. De litigios. ex Caij lib. VI. ad L. XII. Tabular. Vbi & ratio cur ita sancitum. Nempe. Quia rem controuersam in sacrum dedicans, petitorem tradit potentiori aduersario.

Autumat Obseruatio XXVI. lib. X. in capite illo adscriptum à Xuiris, *nec non mortuum inferunto*. Itaque à Seru. Sulpicio interprete legis Romanæ obseruatum, ***duobus negatiuis verbis magis permittere legem quam prohibere.*** Vt T. Caius notat, lib. V. ad legem duodecim tabularum L. CCXXXVII. De verb.

ſig. Sed qui pote probari? Ecquis ſedere volens ad calculos? De re litigioſa eſt T. Caij libro VI ad legẽ XII. de duplici abnutiua eſt eiuſdem ad legem XII. tab. lib. V. Deinde autem quo iure mortuus in rẽ litigioſam inferturquę quaſi res aliena eſt, & nec vendi nec emi poteſt: l. I. & ſeq. D. De litigioſ. In locum autem alienum inferre nefas. l. VI. §. vlt. De rer. diuiſ. l. II. §. II. l. VII. §. I. De religioſ. D. l. II. C. eod. Eadem itaque pæne obex non inferendi mortui, & non dedicandi in ſacrum. Si enim mortuum inferre licet in rem alienam, alienatur locus ille. *Naturaliter* quippe ſiue iure naturæ, ad mortuum pertinet is locus in quem infertur l. IV. D. eod.

Delicare autem eſſe dedicare notat Feſtus reſpiciens haud dubie ad caput hoc Xuirale, quo Xuiris *delicare* fuit, *dedicare*

LXXI.

LEx in patronos Xuirorũ verbis à Seruio recitata in VI. Æneid.

PATRONVS SI CLIENTI.

Propriè hoc legis caput patronos tangit qui ex institutione Romuli. De his Dionys. lib. II. Plutarch. in Romulo.

Ex legibus Romuli nempe tralatum hoc à Xuiris Neque tamen Romulus ita sanxit, *Patronus si clienti cliensue patrono fraudem faxit, sacer esto* Xuirale hoc: at Romuli fuit. *Patronus si clienti cliensue patrono fraudẽ faxit, proditor esto.* Manifestariè sic Dionys. lib. II. Nam de huiusmodi fraudem frauso. ἔνοχος, inquit, ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν

ὁ Ρωμύλος &c. Reus erat lege de proditione, quam tulit Romulus &c. Frustratoriè itaque à criticis aliter relatum in leges Romuli.

CLIE'NSVE PATRONO.

Sic Xuiros tulisse commutatoriè, siue reciprocè, patet lege Romuli antedicta ex Dionysio. Mutilam adtulit legem Seruius ad illud Æneidis VI.

------- *Aut fraus innexa clienti.*

In deuio ibi & Vrbanus Grammaticus caput hoc legis Romanæ propriatim capiens de clientium genere illo cui lites, quique dicti, *suscepti.* Contra enim primum ac propriè est de clientela illa Romuli, anaphoricè autem de susceptis, qui tanquam riuuli, ex fonte illo. Portiuncula nempe officij patronorum qui à Romulo, illa. Δίκας ὑπὲρ τῶν πελατῶν ἀδικουμένων λαγχάνειν, εἴ τι βλάπτοιντο περὶ τὰ συμβόλαια, καὶ τοῖς ἐγ-

χαλοῦσιν ὑπέχειν. Lites pro clientulis ſortiri, ſi qua in cõtractib. fraus eis facta, & ſi lites eis intentatæ has ſuſtinere. Dionyſ. lib. 11. Itaque his talibus ſuſceptis vide non patronos comparari ſolere ſed aduocatos, vt D. Ambroſij Serm. xciii. D. Auguſtini epiſt. lix. & Quæſtionib. multis. Huius notæ *ſuſcepti* & Iulij Seueriani Syntom. c. ix. & vlt.

Natales huius nominis & quaſi crepundia vide epiſt. ix. lib. v. ad famil. *Quare ſuſcipe me totum &c.*

Compoſiti autem his *ſuſceptis* non *aduocati* ſolum ſed & *Rogati* Cliens rogat, cauſæ patronus rogantẽ ſuſcipit. Gloſſæ. συνήγορος *Patronus, Rogatus*. Formula illius rogationis, epiſt. illa ixª. P. *Vatinius cliens ad te venit, qui cauſam pro ſe dicier vult.* Dicentarius ſi ſuſciperet clientem, diſcebat rem, Tull. ii. De orat. Sin recuſaret, blandè, non autem preciſè, aut contumaciter negabat. Vt. *Sipo-*

tero. Si ante suscepta causa non impediar. Epist. iv. lib. iix. ad Att. Quippini vt rectè P. Syrus A. Gellij c. xiv. lib. xvii.

Pars est beneficij, quod petitur benè si neges. Rectiùs alij libri.

Pars beneficij est, quod petitur, si bellè neges.

Bellè, est blandè, non iracundè, non abscisè, non rusticatim.

Tertiæ notæ clientes suscepti, vicani confugæ qui suscepti à potentiore, in fraudem tributi publici l. I. & seq. Vt nemo ad suum patr. C. lib. xi. Et C. Theodos. De patrocin. vic. Nouel. xvii. c. xiii. Nouel. Tiberij. De diuin. domib. c. iv. Huiusmodi susceptis oppositi, non aduocati aut rogati, sed patroni, vt d. l. I. Et Saluiani Massil. lib. v. Itaque & eiusmodi defensio Patrocinium, & merces illius patrocinij πατρωνίκιον d. Nouel. Tiber. c. iv.

Fecere & ivæ. notæ clientes susceptos, ex l. cxxxii. §. I. D. De

verb. oblig. *Quidam cum filium alienum ſuſciperet &c. Suſciperet* interpretati *in fidem & clientelam ſuam reciperet*, vt flos iuris interpretum delibatus ad d. l. cxxxii. Et l. i. Vt nemo ad ſuum patroci. Fefellit cortina illa. Verũ fuiſſet. Suſciperet in ſuum ſibi filium, ſiue loco filij, tãquam adoptione quadam non ciuili ſed naturali. Itaque mox §. Præterea, illi ſuſceptioni oppoſuit legitimam adoptionem.

SACER ESTO.

Vt lege Romuli de proditione, patronum aut clientem qui fraudem eiuſmodi frauſus ἁλόντα, τῷ βουλομένῳ κτείνειν ἦν, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός deprehẽſum, fas volenti mactare, ceu victimam Iouis inferni. Dionyſ. lib. ii.

LXXII.

NOn præteritos à Xuiris incendiarios, patefcit l. IX. D. De incend. Quæ lex T. Caij, ex lib. eius IV. ad L. XII. Tab.

AST SI STIPVLAM Incendenti.

Exceptio illius capitis hæc. *Aſt ſi ſtipulam incendenti ignis fugit.* Promit Iul. Celſus III. Digeſt pariationis Moſaicæ Tit. XII. *Quid enim ſi ſtipulam incendenti ignis fugit?* Sic enim lego. Tangit. & T. Caius d. l. IX. *Si vero caſu &c.*

Eiuſdem ſortis exceptio & lege Xuirali de parricidijs. *Aſt ſi telum manu fugit.* De qua poſtcapite LXXV.

Sic & lege Dei, Exodi c. XXII. ἐὰν δὲ ἐξελθὼν πῦρ. *Aſt ſi egreſſus ignis* .&c. Et in capitulis Caroli M. c. XXI. lib. VI. *Si egreſſus ignis*

inuenerit spicas, &c. Et legib Georg. c. De incendio.. Ἐὰν συμβῇ πῦρ διαδραμεῖν. Si acciderit excurrere ignem &c. Et rescripto D. Seueri, comparatione legis Mosaicæ Tit. eod. *Si vt proponis, ignis pabuli gratia factus, culpa seruorum Victoriæ Astiliæ euagatus, agrum tuum depopulatus est &c.* Sic enim rectè is locus.

LXXIII.

PRodidit hoc caput clamator quiqui est nomine Porcij Latronis in Catilinam.

Forte an autem & T. Liuij lib. xxxix. Sp. Postumius Albinus Cos. ad Quirites in coetus nocturnos inuehens, qui Romæ in sacrilegis Bacchi sacris, hoc Xuirale iussum respexit, cum ait. *Maiores vestri, ne vos quidem, nisi cum vexillo in arce posito. &c.*

Sapienter & Agesilaus Lace-

demoniis suis auctor ἀκρίτως ἀποκτείνειν τοὺς συνιόντας νύκτωρ ὑπὸ τὴν Θηβαίων ἐσβολήν. *Indicta causa necare illos, qui tempore incursionis Thebanæ cœtus coissent nocturnos.* Ælianus Var. c. XXVII. lib. IV.

Et Diagondas legislator Thebanus *omnia sacra nocturna sustulit.* Tull. II. de legib. Veritus ne velamenta essent cœtibus nocturnis.

LXXIV.

TVlêre item Xuiri, vt sodalitiis suæ pactiones ratæ essent, extra quàm si qua legibus vetita. Hinc l. vlt. D. De colleg. ex Caij lib. IV. ad Legem XII. tabular.

Admonet ibi Caius ex Attico fonte hunc riuulum esse. Idemque cum ait. Dum ne quid ex publica lege corrūpant, ex ore Xuirali sum-

ſit. Anteriúſque Xuiris, Atticarum legum pater dixerat, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Vitioſum eſt quod ex Baſilicis profert obſeruatio xxx. libr. VII. δημόσια πράγματα. Refellit hoc Caius inquiens, *Publica lege.* At Baſilica eadem rectè ἢ ἱερῶν ὀργίων μένονται. Et illud. ἢ ἐπὶ λείαν ἐρχόμενοι. Hi, *prædæ participes,* Plauti Phaſmate Sc. III. Et *Prædatores* Plautinæ Pſeudoli Sc. IV. Seru. ad Æneid. III. Blenni legiſcrepæ interpretati, *aut confrumentales.*

Sodalitiorum itaque ſiue collegiorum ex lege Xuirali diuergium hoc. Alia licita eſſe, alia inlicita.

Inlicitis mantellum ferè ſacra & cerimoniæ l. 1. §. 1. D. De colleg. T. Liuij lib. XXXIX. Herennij Philonis lib. in Flaccum. Ioſephi antiquit. c. XVII. lib. XIV. Ergo & hi cœtus Græcis Θίασοι.

Licitis autem collegiis, ad

exemplum Reip. *communitas* āliqua *rerum*, & *arca communis*, & *actor siue syndicus*. l.1.§.1.D. Quod cuiusc. vn. nom. Sic. & Græcanicis collegiis siue sodalitiis arca communis. Quod Iul. Polluci Κοινὸν ἐρανιστῶν c. vlt. libr. IIX. Nam ἐρανισταὶ siue sodales, sueti ἔρανον ἑκάστου μηνὸς εἰσφέρειν: *stipem quot mensibus inferre*. Harpocratio in ἐρανιστής. *Inferre*, in arcam, scilicet communem. Sic Theophrastus Ethico charactere αὐθαδείας siue contumaciæ, ἔρανον εἰσενεγκεῖν. *Stipem inferre.*

Stipē dico, vt benè Marcianus d.l.1.§.1. de huius farinæ sodalitiis agitans dixit, *Tenuioribus stipem menstruam conferre*. Nollem ita scriptum esse ad characteres, *Collationem aut collectam vertere possis, & si alio sensu M. Tullius hac dictione vsus est*. Sanè alio Tullius & debuit. Marcianus vero stipem propriè. Nam planissimè quidem *stipes illa tenuioribus mēstrua*, quæ-

dam quasi ἐλεημοσυνή. Benè in Glossis. Ἔρανος, *Stipes sodalium.*

Hoc primum. Deinde non expressim περὶ αὐθαδείας, versum, *De ferocitate & arrogantia*, Neutrum facit. Rectum fuisset. *De contumacia* Glossæ αὐθάδεια *Contumacia*. Dixeris, &, *sibi placentia*, Eædem *sibi placens*. αὐθάδης, αὐτάρετος. Lege. αὐτάρεσκος. Rectè αὐθάδεια, *sibi placentia* Αὐθάδης nempe αὐτοάδης τίς ἐστιν, ἀπὸ τοῦ αὐτὸς ἑαυτῷ ἀρέσκειν. Aristot. magnis moralibus c. XXIX. libr. I. Eiusdem sc. animi κακία, contumacia contemnentis alios, & sibi placentia. An nec dum abit ferocitas illa & arrogantia? Venit Cicero. Cum Plato in Apologia, de Socrate dixisset, οὐκ αὐθαδιαζόμενος οὐδ' ὑμᾶς ἀτιμάζων. Tullius I. Tusc. *Adhibuitque*, inquit, *liberam contumaciam à magnitudine animi ductam, non à superbia. Contumaciam* ex αὐθαδιαζόμενος: *superbiam* ex illo ἀτιμάζων ex-

primens.

Sed putamina hæc ista quidem, de nucleo gustemus. Negant characteristici commentarij, quales sint Græcorum ἔρανοι. *apud Romanos quidquam tale factitatum.* Distinctiùs oportuit. Ἐρανισμοὺς & Romæ fuisse, sed auctoritate publica, siue qui legibus & SC. permissi d. l. 1. Et Ciceronis Bruto. Et Cornuficij ad Herenn. lib. IV. at in ciuitatibus Græciæ ἐρανισμοὶ priuè ac liberè. Non placiti ergo hi Romanis, siue in vrbe, siue in Italia, siue in prouinciis d. l. 1. & epist. Traiani ad Plinium XCIV. lib. X. Vbi eranos dixêre & Plinius & Imperator, non quia non stipes illa sodalium Romanicè: sed quia res ipsa Græcula illius epistolæ: vt & Tullius pro Valerio Græcanicè dixit Psephisma, & *sortiri dicas* Verrina IV.

Licétne porro? Et cui συζητεῖν de literis non licet? Neque illa probæ monetæ relectio in chara-

cteriſtico illo, ex Plautinæ Curculionis Sc. vlt.

Verùm amici contulerunt.---
Rectè ibi.

Verùm amici compulerunt.--
Illud, *contulerunt* refellit Plautus ipſe cum ait.

-----*Reddidit argentum domo.*
Sic enim legendum. At enim ſi ſtipes ab amicis collatitia illa: ex arca communi, non autem domo redditum argentum eſſet. Neque autem argentariis, ſed tenuioribus collata ſtips eiuſmodi. Argentarij quidem boni homines ſiue πιςοί, atque dites, Curcul. Plautinæ Sc.IIX. Hæc itaque mẽs Cappadoci illi Plautino. Metui ne Lycus argentarius, rem mihi apud Prætorem ſolueret, id eſt, creditum abiuraret. Nam ſic paratus venerat: ſed amici ſiue aduocati compulerunt reddere domo, peruincentes apud Prætorem, iuſta ex cauſa ſiue titulo deberi.

Amici Plauto ibi, neque amici com-

ci communes, vt σορφετὸς interpretum, neque ἐρανιςαί, vt in characteristico est: sed aduocati. Amici in iure aduocati, vt Amphitruonis Sc. propen. Blepharo idem amicus & aduocatus. Et Epidico Sc. IIX.

Res magna amici apud forum agitur: ei volo.

Ire aduocatus-----

Et Terentij Eunucho Act. II. Sc. III. idem Archidemidi cognatus, æqualis, aduocatus. Et T. Liuij lib. III. *Amici Virginij*, hoc est, aduocati.

Quomodo autem abiuraret ille argentarius? Prætore iusiurandum ei deferente. Solentes ita *iudices facere in dubiis causis* l. XXXI. D. De iureiur. l. XII. C. eod. Quales causæ depositi sine arbitris, vt Ciceronis Paradoxo III. Terentij Phorm. Act. I. Sc. II. Iuuenalis Sat. XIII. Itaque & depositario neganti defertur iusiurandum Nouel. LXIII. c. IV. Huiusmodi propria-

tim iusiurandum iudiciale. Quæ & Rhadamātho litium expediendarum via solita, vt notatum à Platone IV. de Legibus.

Sic & Cappadox ipse Curcul. Sc. vlt. *à Prætore*, inquit, *se rem soluere omnibus, quibus debet*, & prætorem sibi quasi alterum *trapezitam* esse. Speciéque prouerbij dixeris, *apud Prætorem, aut apud iudicem soluere*, pro abiurare. Cuiusmodi fere & Persianum illud Sat. IV. *Puteal multa vibice flagellare.* Abiuratio illa est pro solutione. Isque soluendi modus Romæ nimium quàm frequens vt Curcul. Sc. IX. Tullij epist. VI. lib. I. ad Atticum. Elegantérque P. Laberius A. Gellij c. VII. lib. X. *Quid est iusiurandum? emplastrum æris alieni.*

Porro autem illud significanter à Plauto dictum ibi.---*Reddidit argentum domo.* Argentarius argentum domo siue ex arca reddit: alij ciues magis de mensæ scri-

ptura. Diſcere volenti delego interpretem Terentij ad Phorm. Act. v. Sc. IIX. Adelph. Act. II. Sc. IV. Dixi, *magis*. Nam & ciues alij numerauêre de domo ſubinde. Vt l. propen. D. De reb. cred. Sic L. Seneca c. XIIX. lib. III. de benefic. *Pecuniam proferre domo*. Sed ἄσπετος hæc ὕλη. Pergo.

LXXV.

SEx. Pompeius. *Percunctatum*, inquit, *patrisfamiliæ nomen, ne quis ſeruum mitteret, lege ſanctum fuiſſe ait Cato in ea, qua legem Orchiam diſſuadet*.

Non eiuncida forte correctio. *Percunctatum matrisfamiliæ nomen*: Nec enim cauſa de patrefamiliæ: at matrisfamiliæ nomen percũctatum mittendi cauſa mœchis, & iuſtiſſima legibus vetandi. Tollo & alterum ex Pompeij verbis næuum. Codices vulgati ha-

Itaque vt facile patior, non esse hanc à Xuiris legem, ita Festi nihilo secius loca illa rectè sana.

LXXVI.

MArcianus l. III. §. I. Ad L. Iul. maiest. *Lex duodecim tabularum iubet eum, qui hostem concitauerit, quiue ciuem hosti tradiderit, capite puniri.*

Qui hostem concitarit accipe, *qui hostibus populi Romani nuncium literasuè miserit, signum ve dederit, feceritue dolo malo, quo hostes populi Rom. consilio iuuentur aduersus Rempub. l. I. D. Eod.*

LXXVII.

NVmæ Pompillij de sicarijs Legem à Xuiris in tabulas relatam, non leui testis fide Cicero, qui Top. ad Trebat. caput hoc

legis ſæculo ſuo in cauſis viguiſſe innuit. Nam exceptionē eius profert. *Aſt ſi telum manu fugit.* Eumque ceu arietem ſubici ait in iuriſperitorũ actionibus ſiue formulis quæ profluæ ex XII. tabulis, formularum Oceano ſcilicet.

SI QVIS HOMINEM LIBERVM.

Sex. Pompeius profert *in Paricidi quæſtores.*

DOLO SCIENS.

Hinc ἐπίτασις legi Corneliæ de ſicarijs. *Dolo malo.* l. 1. §. 1. & ſeq. D. illo tit. Et identidem Xuirali ſono iuris auctores, *ſcientem dolo malo facere,* dixere. Plenæ exemplorum paginæ.

PARICIDA ESTO.

Vt ſi diceret, paticidium ſiue capital eſto. Quemadmodum Cicero II. de Legibus. *Sacrum, ſacrove commendatum qui clepſit rapſitue, paricida eſto.* Ad exemplum hoc Romuli, in cuius legibus Πᾶσα ἀνδροφονία, πατροκτονία. *Omne homicidum, paricidium* Plutarchus Romulo.

AST SI TELVM.

Hanc capitis huius partem ſic aliqui effinxere. *Sei im impruděs ſe dolo malo occiſit, pro capite occeiſei & natis eius in concione arietem ſubicito.* Perſuaſi illi à Seruio qui ad Ecl. VI. *In Numæ legib. cautum eſſe* ait *vt ſi quis imprudẽs occidiſſet hominem, pro capite occiſi & natis eius in cautione offerret arietem.* Sed aliter catuli longè olent, aliter ſues. Xuiris exceptio illa. *Aſt ſi telum*

cans nullum Xuiris imprudentiæ verbum in ore fuisse, tralatitiè verò imprudentiam eis fuisse teli fugam. Similiter anteriùs c.lxxi. *Ast si stipulam incendenti ignis fugit.* Hanc verò de teli fuga clausulam & D. Augustinus in suum inligauit sermonem c. iv. lib. i. De lib. arbitr. *Cui forte inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videtur peccare cum hominem occidit, &c.*

Iocularium acumen illud in plebeiis ad hæc legum capita commentis, & Aduersar. c. xxx. libr. xxiv. c. xxiii. lib. xxv. Arietem accipiens machinam belli.

PRO CAPITE OCCISI ET NATIS EIVS.

Aries ille pro capite occisi natisque eius tanquam hostia, pro capite quidem occisi, hostia piacularis siue expiatoria imprudentiæ. Varro V. de ling. Lat. Festus in *su-*

bici aries. Itaque Græcanico ritu expiati Orestes, alij: pro parricida autem ipso eadem hostia animalis sanguinem hostia illius fundente manib. interfecti, tanquam pro suo. Hostia enim animalis est animæ pro anima, & animalẽ offerre hostiam est ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς αἰτεῖσθαι. *Animam pro anima petere.* Porphyr. lib. VI. περὶ ἀποχ. ἐμψ. Eamque soliti meliorem vocare, fauentia nempe, siue meliorem verbo, vt Æneid. V.

Hanc tibi Eryx meliorem animam ---- &c. Nam reapse quidem melior humana vt Ouid. VI. Fastor.

Hanc animam vobis pro meliore damus. Hinc itaque & perspicuus ritus ille sacrorum, cur aliarum victimarũ sanguine aram adspergerent, animalis autem hostiæ sanguinem vt profanum effunderent. Arnob. lib. VII. *Animalis inquit, est hostia, & canib. abligurritur sanguis* Contra aram adspergere victimę sanguine vt taurorum,

Lycophro dixit. κρηπῖδα φοινίζειν φόνῳ ταύρων. *Pedem siue soleam areæ puniciam facere taurorum cæde.* Et interpres illius tenebricolæ. αἱμάζειν τὴν βάσιν τοῦ βωμοῦ ἐν τῷ αἵματι τῶν θυσιῶν. *Incruentare basim aræ sanguine victimarum.* Lucian. de sacrific. τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέειν. *Circum aram fundere sanguine.* Et in literis sacris τὸ αἷμα τῶν θυσιῶν προσχέειν πρὸς τὴν βάσιν τοῦ θυσιαστηρίου. *Sanguinem hostiarum ad basin altarij fundere.* Deuter.c. XII. Paralipom.c. XV. lib. II. Stultè igitur Heraclitus ille quasi θρηνῶν σοφιστής, siue perpetuus præficus. Ephesios vetuit πηλῷ πηλὸν καθαίρεσθαι *coeno coenum expiare*, intelligens de aræ respertione. Apollonius epist. ad sacerdotes Delphicos. Neque dissimiliter de Pythagorà Tullius III. De nat. Deor.

C litera. Nam qua nunc G.&c. Repone item; *prodicunt*. Hinc & illa in Glossis exerratio est. Procudium τέρας. Rescribe Prodicium. Et in schedijs Festi. *Prodigium velut pradictum quod pradicat.* Lege. *Prodigium velut prodicium, quod prodicat* Sic & Apuleij Floridæ primæ de IV. illud in menda est. *Vel taurum subiicere* Antiqua scilicet manu scriptum fuisse *vel taurum subicere*, pro subigere, siue sub iugum agere. Dixi, *prima de* IV. quia Critici nuperi castigatores Apologiæ duas priores conflare in vnam voluere. Incipient, si forte & librariorũ filij numerare sic propediem. Vtrique & Platone hoc Madaurensi, & Critica ipsa iratissimis. Nam vt nunc rectè numerus est, primæ Floridæ ad populum Carthaginiensem dictio est, secundæ ad procos. Africæ Seuerianum. Dicta continenti vtraque biduo, in recitabulo theatri Carthaginis. At, inquiunt, pendet se-

quens ex antecedente & quaſi pars eiuſdem adlocutionis eſt, ſiue proſlaliæ, eſt, ſed interruptæ caſu aliquo. Vt Florida III. non diſſimili ſorte. *Profecto*, inquit, *cum impedita eſſet imbri recitatio, in propinquum diem, vobis volentibus protuli, &c.* Sic & fine Flor. III. *Vos ea mecum ciues ab eo ſeruati recognoſcite.* Tum ſequitur VIa. Ergo eádem fierent Floridæ duæ tantum.

LXXIIX.

PArricidis ſiue ſicariis venefici proximi, vt & in lege Cornelia combinati. Nam & venenarij ſiue pharmaci, quaſi homicidæ ſunt & amplius. Pro merito Antoninus l. I. C. De malef. *Plus*, inquit, *eſt hominem exſtinguere veneno, quàm occidere gladio.* Et C. Plinij c. I. lib. XIIX. *Venenum ferro nocentius.*

In capite hoc legis nominatum esse *venenum malum* patet l. ccxxxvi. ex T. Caij lib. iv. ad l. xii. Tab.

Verbum hoc legis imitatum & in c. v. legis Corneliæ de sicariis. *Qui venenum malum necandi hominis causa fecerit, &c.* Sic in lege Cornelia fuisse fides à Marciano d. l. iii. §. iii. *Adiectio autem ista*, inquit, *veneni mali, &c.* Imitatum idem & in lege illa cuius interpres Cicero in Cluentiana. *Qui venenum malum fecit fecerit.*

LXXIX.

ALterplex malum carmen est. Vnum iniuriæ siue famosum vt prædixi c. lxv. alterum damni aut necis siue magicum de quo caput hoc in xii. Plinius c. ii. libr. xxiix. c. i. lib. xxx.

Proximè autem id rectè iun-

QVI MALVM CARMEN INCANTASIT.

Ex C. Plinij c. II. lib. XXIIX.

Sic autem orſos Xuiros liquida res. Generatim dixere incantare malum carmen, in cui cui modi perſonam aut rem cantare. Vnde & Plinij loco prædicto. *Incantamenta carminum*: ſpeciatim deinde excantare & pellicere fruges.

QVI FRVGES EXCANTASIT.

Hoc item fruſtum ex Plinij c. II. lib. XXIIX. Et L. Seneca c. VII. lib. IV. Nat. Quæſt. *Et apud nos*, inquit, *in* XII. *tabulis cauetur. Ne quis alienas fruges excantaſit*.

Excantare fruges, non pellicere de ſuo in alienum ſed necare. Ouidius eleg. VI. lib. III. Amor.

Carmine læſa Ceres, ſteriles vaneſcit in herbas:

Deficiunt læsi carmine fontis aquæ
Ilicibus glandes, cantataque vitibus vua
Decidit: & nullo poma mouente fluunt.

Etiam illa Petronij Enthea gloriatrix sagana.

----Florida tellus,
Cùm volo, siccatis arescit languida sucis.

NEV ALIENAM SEgetem pellexeris.

Seruius adfert in Ecl. IIX. Vnde, inquit, est in XII. Tab. Néve alienam segetem pellexeris. Idémque à Tullio ex XII. Tabulis notatum D. Augustinus ait c. XIX. lib. IIX. de ciuit. Dei. Notat & Apuleius in Apologiis.

Pellexeris, de vicino videlicet in tuum, vt de incantatione ibi Maro.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Tibull. eleg.IIX. lib. I. *Cantus vicinis &c.* Nemeſianus Ecloga IV. de vi malefici carminis.

Quo currũt ſcopuli, migrant ſata, vellitur arbor. Et Queruli Poëta de ſtrigibus illis. *Meſſes*, inquit, *hac atque illac transferunt diris tempeſtatibus; omneſque fructus paucorum improbitas capit.* Legis verbum, *Pellicere*, tangens Apuleius dixit; *In credundis frugũ inlecebris* ſed propius C. Plinius c. VI. lib XIIX. *C. Furius Creſinus in magna inuidia*, inquit, *erat ceu fruges alienas pelliceret veneficijs.*

XXC.

P*Aricidi quæſtores* nuncupatos in XII. Pōponius notat l. II. §. Deinde cum ærariũ. De orig. iur.

Suſpicati plerique omnes, non alio de his latum capite, quam illo de ſicarijs. Magis eſt, caput vnũ fuiſſe de paricidij quæſtoribus,

1. agens de supplicio M. Tullij IIuiri quem Tarquinius rex culleo insutum in mare abijci iussit. *Idque*, inquit, *supplicij genus non multo post paricidis lege inrogatum est*. Sic fere omnes membranæ & libri veteres. Oliuerius nescio quis, primus exterere ausus negationem, & facinoris sui causam reddit, æquè grauem vt tipulæ pondus est. *Quia* inquit, *multò post lata lex Pompeia de paricidijs*. Oliueriū secuta deinde omnis Critica manus, etiam flos ipse iuris interpretū ad Paulli sententias Tit. xxiv. lib. v. Sed cogitemus anne & Xuiris aliqua in paricidas legislatio. Inquit Herennius l. ix. D. De parricid. *Poena paricidij more maiorum hac instituta est &c.* More maiorum accipio lege xii. Priscæ leges vt xii, posteris abière in mores. Quod itaque Modestinus more, Valerius lege dixit. Et verò Cornificius ad Herennium lib. 1. inter alias xii. tabularum leges quas cumulauit, &

hanc perſcripſit. *Et lex*, inquit, *Qui parentem ſuum necaſſe iudicatus erit, vt is obuolutus & obligatus corio lupino deuehatur in profluentem.* Hæc ita illius legis conceptio in membranis antiqua fide & manu. Eadémque lex à Cicerone poſita inter ceteras II. de Inuent. ſed mala librariorum manu excidit. Poſitam ibi fuiſſe teſtis ſibi Tullius ipſe. Nam ſubiungit. *Ex certis legibus, & quæ hunc ipſum ſupplicio huiuſmodi adficiunt, & quæ ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinent, &c.*

Ergo cùm Valerius dixit, *non multò poſt*, accipe annos à regifugio circiter lx. vt Tullius in Bruto de annis xxx. dixit *nuper*, ἐν πλάτει. Et Trogus Pompeius libr. xxxiix. in adlocutione Mithridatica, *Modò*, id eſt ante annos xvi.

Deinde fuiſſe de parricidio in his tabulis, etiam alius Feſti locus adſtruit in *Nuptias*. *Ob quam*, in-

quit, *causam legem quoque parenstam iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset, quod est obuoluere.* Ipsissimam dixeris Pompeij manum esse qua rescripsêre μουσηγέται illi, *Legem quoque Parens tab.* III.

Ex legislatione autem hoc Seruij Tullj regis commigrauit huc viciniæ. Nam eius de pulsatione parentis legem promit Sex. Pompeius in *Plorare*, nec dubitauerim additum à Seruio & de parenticidio.

Nec pauculis verò legibus ex iure Papiriano tabulas suas instruxerant Xuiri. Et quidem primæ IV. his magnam partem oppletæ, sed in nostrum hoc interpretamentum ita conueniebat, non distrahere fures, sicarios, veneficos, incantatores, paricidas, hoc genus omne.

Vt Seruij Tullij de paricidis legem Xuiri, sic Xuiralem post alij retulere, vt L Cornelius Sulla l. II.

§. Deinde Cornelius. D. De orig. iur. Post Sullam & Pompeius l. I. & III. D. De parricid. Etiam Claudij legem de parricidis & culleo aliquam l. Seneca tangit c. XXIII. lib. I. de Clement vbi *sine lege* intellige Claudia. Postmodo & Hadrianus retulit l. penult. D. eod. Tangit huius oraculum & Dositheus magister in sententiis Hadriani. Deniq. retulit & Constantinus l. vn. C. De his qui par. vel li. occ. l. vn. C. Theodos. De parric. Sic alij super alios paricidialibus viperis rogationes inflixere, & poenas alij aliis grauiores.

Indigestè autem de lege Pompeia Tribunianus §. Alia deinde. Instit. De publ. iud tribuens legi Pompeiæ quod legis XII. tabular. est, & principum vt Hadriani & Constantini. Sed ratio Tribuniani aliqua. Quia constitutionib. illis quasi corrigitur lex Pompeia. Fortean autem & illa Tribuniani visio. Legis Pompeiæ capite quod

in

in Digestis latum esse de his paricidis tantùm qui confessi. His autem supplicium leuius. Tangit L. Seneca c. xv. lib. I. de Clement. Sueton. Augusti c. xxxIII. Iul. Capitolin. in Antonio. Principes autem, ex ijsque Tribunianus, sine vlla confessi & nec confessi varietate, duplex genus adfectionis fecere, & paricidij, vni poenam cullei, alteri poenam legis Corneliæ & Pompeiæ.

Retulit Hadrianus cullei supplicium obsolescente lege Pompeia, raris nempe confessis: retulit & Constantinus flacescente lege Hadriani vt indicio est Paullus Sentent. Tit. xxIV. lib. v. Et tamē vsurpatū subinde id supplicium, patet narratione Cedrini de poena Pontij Pilati. Eusebij de Tyrio adolescēte Vlpiano Eccl. hist. l. IIX.

Sed quia ducere de paricidarum poenâ lineas occepi pergo & hāc cupressū adpingere. Quod ex lege Romana Cornificius de corio lu-

O

pino dixit, non de folliculo lupino capiendum esse, quo paricidis os præligatum, Tullij II. de Inuent. cautione illa ne impio eorum spiritu siue anima, coelum ipsum siue aër incestaretur: sed de culleo Primitùs nempe ex corio lupino, culleus, post autem & alio. Glossæ. *Culleus*, ἀσκὸς βόειος. *Colleum*, ὁ Ταύρειος ἀσκὸς & ἀσκὸς Ταύρειος. *Culleum*. Festus *lura, os cullei* Rectè Isidor. c. XXVII. lib. V. *Parricidiale vasculum* dixit. Nec malè Isidorus ille in glossis *tunicam*, vbi culleum sic pingit. *Culleus* inquit, *tunica ex sparto in modum crumenæ facta, quæ linebatur à populo pice & bitumine in qua includebātur parricidæ cum simia, serpente, & gallo insuta mittebatur in mare, & cōtēdētibus inter se animantibus homo maioribus poenis adficiebatur*. Elucus molestus illis qui ad Suetonij Augustum c. XXXIII. Isidorum incilant. *Imperitè*, inquiunt, *nimis confundit culleum cum tunica*. Quid Isidorus?

negat agere de tunica illa quæ parata incendijs, de qua L. Seneca epist. XIV. Iuuenal. Sat. IIX. & ibi vetus interpres. Tertyllian. ad martyres c. penult. sed de culleo qui parricidæ quasi tunica est, lita pice & bitumine non ad incendiũ, sed vt in aqua duraret. Et, *quæ linebatur à populo* rescribe, *qua linebatur à publico*. nempe à carnifice, Carnificem, publicum dixit, vt Græci δήμιον & δημικόν. Glossæ Carnifex δημικός. Etiam *publicus* pro magistratu, vt apud Cæsarem VI. belli Gall. *Si quis aut priuatus aut publicus &c.* Sic membranæ. Vulgarij ne rectè *Si quis aut priuatus aut populus*. Qui minus autem Isidorus *tunicam* pro culleo dixerit, quàm Glossæ Culleum λάρνακα; Scilicet. Non in corio tantum sed & arca siue risco expositos paricidas, retento nihilo secius nomine cullei. Benè autem & hoc Isidorus, *in modum crumenæ*. Hinc enim *ascopera* culleus

Suetonio, aiunt, Neronis c.XLV à specie figuraque peræ siue marsuppij. Nam Suidæ ἀσκοπήρα, τὸ μαρσίππιον, ἤτοι τὸ σακκοπάθυιον.

Sed vara ecce vibiam, ascoperam ascura sequitur. Ascopera illa benè ad Suetoniani populi saliuam, ego quicum volet pignus dem Suetonij manum esse *ascura* siue *ascora*. *Prox illud Ascura*, obliuia verò quia vetus, sed quæ inuidia est retrahere? Ascora nempe veter. Glossæ. ἀσκοπιτίνη. *ascura*. Et eædem. Ascora ὀσκοπύθην. Lege. ἀσκοπυτίνη. Ergo & libri Suetonij veteres (etiam V. C. Læuinus Torrentius notauit) *ascopa*.

Iamne inquis acta res? Immo & nunc monere opus. In hoc legis Xuiralis capite fuisse, *parentem suum* eoq. nomine contineri & matrem. Hinc illa grammaticis nota, & matrem rite recteque *parentem suum* vocari. L. Festus in *Masculino*. Sosip. lib. I. Sic Tullius An-

toniana II. *ad parentem tuũ*, de matre Antonii. Sed verius ibi *ad patrem tuum. Pater* ibi patruus.

XXCII.

SAluian. Massiliens. lib. IIX. De prouid. Dei. *Interfici*, inquit. *indemnatum quemcunque hominem, & XII. tabularum decreta vetuerunt*. Adlusit & D. Augustin. c. XIX. lib. I. De ciuit. Dei Hinc & illud Appiani libr. III. de Romanis. οὐ πάτριον σφίσιν ἄκριτον κατεδικάζειν. *Non esse eis patrij moris, damnare iniudicatum.* Eademque naturalis æquitas, siue *æquitatis ratio*. l. I. §. I. D. De req. reis. Et Apuleius Miles. lib. X. *Esse barbaricæ feritatis vel tyrannicæ impotentiæ damnare aliquem inauditum.*

Hoc autem Xuiris caput ex Lycurgi Rhetris. Patet Valerii. c. II. lib. VII. exemplo Agesilai.

XXCIII.

Ἀτολεξεὶ hoc Tullius III. de legibus. Tangit & pro Sextio. Eademque de re poſtlatæ leges Valeriæ & Porciæ T. Liuius lib.x.

DE CAPITE CIVIS.

Huc crebræ luſiones, vt Plauti Euclione Sc.xxiv. Pſeud. Sc.penult. *Centuriata capitis comitia.*

NISI PER MAXIMVM COMITIATVM.

Polybius lib. VI. θανάτου δὲ κρίνει ὁ δῆμος μόνος. *Morte multat populus ſolus.*

Comitiatus maximus, comitia centuriata, ſiue maxima. Eademque quia his comitiis magiſtratus creari ſoliti, comitia Conſularia,

Prætoria, Ædilitia, Quæstoria.

A comitiando comitiatus, & incomitiare Plaut. Curcul. Sc. VII. Festus.

NE FERVNTO.

Iunxit de suo Tullius mantissam. *Ollosq. quos censores in partib. populi locasit.* Aduersus tribunum plebi P. Clodium hoc illi dolor expressit. Nam is comitijs quibus Ciceronem pepulit in exsilium, seruos & latrones per centurias distribuit. Tullius ipse III. de Legibus.

Interest autem hoc & proximũ superius caput. Illo vetiti Prætores obstare prouocationi ad populum, siue necare aliquem qui ad populum prouocaret. De qua prouocatione Pompõ. l. II. §. exactis Et §. Deinde cum ærarium. D. De orig. iur. T. Liuius lib. I. Dio lib. XXXVII. in causa C. Rabirij, Et Cicero eadem. Hoc autem isto vetiti

tribunipl. de capite ciuis ferre comitiis tributis siue tribunitiis. De his Dionys. lib. IX. & XI.

XXCIV.

PRIVILEGIA.

ET hoc ita inibi nuncupatum à Cicerone, addito & legem esse de XII. tabulis tralatam. Tetigit idem orationibus pro domo, & pro Sextio.

NE INROGANTO.

Inroganto magis quàm *roganto* Xuiri. Nam voluere pro singulis hominibus & priuis rogari licere: in siue contra non licere. Vnde & priuilegium significatu prærogatiuæ. Gloss. *Priuilegium* πρωτοπραξία, προνομία, προνόμιον Et προνόμιον *Priuilegium, prærogatiua.*

Sic priuilegium pro Menandro l.v. D.De captiu. Priuilegium pro C.Hostillio Mancino,l.vlt.D. De legation. Quę leges factæ ex priuilegiis, edicto. Eiusmodi priuilegia item lex Cornelia de reditu Ciceronis, lex Callidia de reuocatione Q. Metelli, lex Cornelia de C. Mario, lex Manilia de imperio Cn. Pompeij, aliæ. A. Gellius c.xx.lib.x. Sic Fabij Declam. cclxiii. *rogationes quibus pœna remittitur.*

Ergo & quod Xuiri *inrogare*, Tullius interpretans dixit, *leges in priuos homines ferre.* Sic & capiendum verbum l.iix.D.De legib. *Iura non in singulas personas constitui.*

Ratio sic ferendi Xuiris quæ fuerit benè M. Fabius idem exprimit Declam. cccxxxix. *Quanquam*, inquit, *rationem etiam propter quod non liceat rogationem contra singulos ferre illam video. Quod peccata singulorum videntur habe-*

re leges suas. Homicidum fecit aliquis, sacrilegium, iniuriam, cateráque his similia? suo iure punitur, &c. Hinc Tullij pro Milone, & aliâs, querimonia illa de quæstionibus nouis.

Priuilegiorum itaque alia licita, alia inlicita. Inlicita quæ inrogantur. Sic magis quàm vt distinguit Obseruatio IIX. lib. XI. Licita esse temporaria: inlicita perpetua. Neque facit ei M. Fabius Declam. CCLIV. cum ait. *Rogationem ad singulos homines pertinentem non recipi in omnia tempora, sed in præsens, &c.* Nam hoc quidem nihil aliud quàm quod Vlpianus l. 1. D. De constit. princ. dixit. *Personales constitutiones non trahi ad exemplum.*

Et indidem quod ait lex, *vel si quam pœnam inrogauit*, accipe ritu Reipubl. nouæ & imperatorio. Principi fas & rogare pro aliquo, & rogare in aliquem priuilegium. Nec enim odij causa principi vt

Republ. vetere, tribunis. Tribuni pl. inrogauere priuilegia odiis in priuos vt P. Clodius in Ciceronem, L. Scribonius Libo in P. Galbam, alij in alios.

Sed conſcij illi, huiuſce ſortis priuilegia ſacratis & XII. legibus vetita eſſe, obliquè & ἐσχηματισμένως ferebant, nempe non vt in priuum, ſed vt generaliter ſiue in omnes. Sic P. Clodius non tulit directè, *Velitis iubeatis Quirites vt M. Tullio aqua & igni interdictum ſit:* ſed πεπλασμένως. Velitis iubeatis Quirites vt ei qui ciuem indemnatum necaſit, aqua & igni interdicatur. Rectè hoc Velleius lib. II. *P. Clodius,* inquit, *legem tulit vt qui ciuem Romanum indemnatum interemiſſet, ei aqua & igni interdiceretur. Cuius verbis etſi non nominabatur Cicero, tamen ſolus petebatur, &c.* Et verbis pæne iiſdem Dio lib. XXXIIX. Sic apud Cic. I. legum in lege de dictatura Sullæ, non *Sulla*, ſed *dictator*, ne

manifestarium esset priuilegium. Tali schema & Ephesij Heraclitum percussere. Nec enim tulere. Vt ne in ciuitate esset Heraclitus, sed τὸν μὴ γελῶντα, καὶ πάντα μισανθρωποῦντα πρὸ ἡλίου δυόντος ἐξιέναι τῆς πόλεως. *Nunquam ridens, inhumanitérque omnes perosus, ante solem occasum in ciuitate ne esto.* Heraclitus ipse epistola ad Hermodorum. Et lege, πάντας. Aliter hoc Laërt. in Heraclito. ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊστος ἔστω. εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. Item Geographus libr. XIV. Fecit Latinum Tullius fine V. Tusc. Hermodorus itaque apud Laërtium exprimere, non verba sed mentem illius Psephismatis voluit: verba quidem haud dubiè ipsa Heraclitus expressit. τὸν μὴ γελῶντα, &c. Hæc enim aliqua saltim ad speciem causa exsilij, *non ridere, & omnes odisse:* at illo ipsi conuicium sibi facerent Ephesij. *Nemo inter nos vnus excellat, &c.* Sic olim Qui-

rites boni Romæ & in Eumenem regem tulêre figuratè. Non, *vt ne Eumeni*, sed, *vt ne cuiquam regi Romam venire liceret*. L. Flor. Epit. xlvi.

Huiusmodi rogationes neque leges neque priuilegia, sed leges priuilegij similes, vt Tullius in Bruto, L. Scribonium Libonem Tribunumpl. *legem* tulisse ait in P. Galbam *priuilegij similem* Quasi leges illæ, quia exterius æquitatis vmbra tectæ, introrsum verò iniquissimæ, neque iniuria Heraclitus ad Hermodorum de tali lege sibi inrogata querens νόμον vocat ἀνομώτατον *legem validissimè iniquam. Et* elegans illa eius caussatio, οὐδεὶς γὰρ νόμος ἐφ᾽ ἑνὸς, ἀλλὰ κρίσις. *Nulla enim lex in priuos, sed iudicium.*

Frustra itaque illi qui in collecta legum Romanarum legem Clodiam ita concepere. Vt M. Tullio aqua & igni interdiceretur. Profert quidem sic eam Tullius, vt

pro domo,& poſt red.ad Quir.ſed mentem priuilegij non verba exprimens, vt antedictum de Hermodoro.

Ad exemplum priuilegij de vno ſunt & priuilegia corporis, aut quaſi corporis tanquam pro vno vt priuilegia creditorum, veteranorum, dotium, alia.

Diſtat hinc ius ſingulare. Nempe quidquid *contra tenorem* ſiue *rationem iuris* l. XIV. & ſequentibus *De legib.* L. CXLI. De reg.iur. D. contra tenorem ſiue rationem iuris. recté in eclogis Digeſtor. παρὰ κανόνας νόμων d.l.CXLI.

Mutuaticum autẽ & hoc XII-rale caput ex lege Solonia vt expreſſim Æneas Gazæus in Theophraſto. ὁ μὲν τοῦ Σόλωνος, οὐκ ἐᾷ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ τιθέναι, &c. Lex Solonis non ſinit legem ferri de vno aliquo &c. Profert plenius Demoſth. contra Ariſtocratem, & contra Timocratem, μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι.

ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐφ' ἅπασιν Ἀθηναίοις τιθῇ. Neque legem fas rogare de aliquo, nisi in omnes Athenienses communiter ea rogatio.

XXCV.

T. Liuius lib. VII. *Interrex Fabius aiebat in* XII. *tabulis legem esse. Ut quodcunque postremum populus iussisset, id ius ratumque esset, iussum populi & suffragia esse &c.* Quasi digitum intendit, siue digitauit eodem & Appius Claudius censor in iurgio cum Tribuno plebei P. Sempronio: & Tullius pro Cornelio Balbo. Hinc & Ciceronianum illud II. de Inuent *Postrema quaque lex grauissima est* Aliaque huiusce sortis in iure ciuili.

XXCVI.

IN Oſcis tabulis ſiue poſtremis adſperſa vt lolium, Appij Xuiri technis, lex. *Ne connubium plebi eſſet cum patribus.* Dionyſ. fine lib. x. Et aliâs dixi. Ergo & C. Canuleius Tribunuſpl. T. Liuij lib. IV. in patres inuehens. *Ne cōnubium,* inquit, *patribus cum plebe eſſet, non Xuiri tulerunt paucis his annis, peſſimo exemplo publico, cum ſumma iniuria plebis?*

XXCVII.

HAbuere & ius fecialium Oſcæ tabulæ à Faliſcis acceptū. Seruius ad Æneidem VII. De iure illo & Numa Pōpillius ante perſcripſerat, in tabula legum ſacrarum ſeptima, vt Dionyſ. notat lib. II. & Tullius II. de Legib. ait, ſuam

de religionib.legem,non discrepare à legibus Numæ. In Tullij autem legibus est & de iure fetialium.

XXCIIX.

NOn periurio pœnam Xuiri, sed deiurio auctoritatem & fidem esse voluêre. Tullius fine III. de Offic. *Nullum*, inquit, *vinculum ad adstringendam fidem, iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in* XII. *tabulis, &c.* Ex lege itaque Xuirali mutuatica Ciceronis lex II. de Legibus. *Periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus.* Dedecus audi non infamium ex lege: sed ignominium ex nota censoria. A censoribus notati periuri. Tullius fine III. de offic. A. Gell. c. XIIX. lib. VI.

At neque lege periuri infames, neque edicto D. De his qui

not. inf. neque constitutionibus principum, vt C. Taciti annali Ia. l. II. C. De reb. cred. Quæque dicitur periurij pœna l. XXII. D. de dolo. non alia quàm d. l. II. periurij non per Deum, sed per principem.

Nullam fuisse periuris pœnam arguit & tritissima per abiurationem soluendi via, vt apud Plaut. Menæhm. Sc. XI. & de qua disserui c. lXXIII. ex L. XXXI. D. De iureiur. Ex qua & Constantin. Tit. VII. lib. I. §. XIIX. addens iusiurandum esse, quasi λύσιν φυσικῆς ἐνοχῆς, καὶ διάλυσιν, solutionem obligationis naturalis, & transactionem. Itaque Plautinæ Curcul. Sc. vlt. *Verum amici compulerunt, &c.* est, aduocati ostendêre esse obligationem ciuilem.

Primitùs autem Christiani principes frenos periuriis iniêcere, vt l. pen. De Dignitat. C. lib. XII. Constantin. Tit. VII. lib. I. §. XXI. ex Nouel. Leonis & Constan-

tini. Ægyptiâ quidem lege periurium capital. Diodor. lib. I. In capitul. Caroli M. pœna est manus amputatio c. IV. & X. libr. III. c. CXXV. libr. V. Et infamia c. LXIII. lib. I.

XXCIX.

QVæ Xuirorum ἀκρίβεια fuit, neque de intercalatione prætermisêre. Macrob. Saturn. c. XIII. lib. I. *Tuditanus*, inquit, *refert lib.* III. *magistratuum*, Xuiros *qui* X. *tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse.*

X C.

HOMINEM MORTVVM.

M. Cicero II. de legibus. *Hominem mortuum, inquit lex*

in XII. *in vrbe ne sepelito, neue vrito.*

IN VRBE NE SEPELITO.

Eiusdem sortis Hadrianî constitutio l. III. §. Diuus. D. De sep. viol. & alia Antonini Pij. de qua Iul. Capitolin. in Anton. Alia item Diocletiani l. XII. De religios. & sumt. fun. Et Gratiani l. II. De sacros. eccles. C. & l. penult. C. Theod. De sepulc. viol.

Etiam SC. ea de re factum Cos. Duillio. Seru. ad illud Æneid. XI. *Finitimos tollunt in agros.* Tangit hoc non sepeliendi in vrbe ius & Paull. Sentent. Tit. XXV. lib. I. Et Optatus Mileuitanus lib. II. Sed Leo A. Nouel. LIII. permittit hoc sepulturæ genus. Etiam Lycurgus olim permiserat. L. Plutarch. in Lycurgo, nec Theologi vituperauere, vt D. Augustin. c. IV. & seq. lib. De cura pro mort. D. Gregor.

in dialogis c. I. lib. IV.

Sanctum autem hoc caput à Xuiris ad exēplum Græciæ. Nam idem ritus, non ſepeliendi in vrbe, etiam Athenis, vt epiſt. Ser. Sulpicij ad Cic. lib. IV. Idem & Smyrnæ, Tullius pro Valerio. Et Maſſiliæ, Valer. c. VII. lib. II. Tota denique Græcia. Vnde priuilegium illud conditorib. vrbium in vrbe media ſepeliri, hoc eſt, foro. Interpres Pindari ad Olympia Oda I. Fabius Declam. CCCXXIX. L. Florus c. XX. lib. II.

NEVE VRITO.

Sic in vrbe non fieri buſticeta, culinas, vſtrinas etiā poſt Sc. cautum, principe Auguſto. Dio. lib. XLIIX.

XCI.

SVMTVM MINVITO.

TVllio & hoc caput in acceptis, lib. II. de legibus, qui & notauit ex tabula X. esse. Digitum & Verrius intendit in *Reicinium.*

TRIA SI VOLET reicinia.

Ex Attica hoc lege. Testis ibi Tullius. *Nam de Tribus reiciniis, inquit, & pleraque illa, Solonis sunt* Plutarch. in Solone de funebri eius lege memorans, ἐναγίζειν δὲ, inquit, βοῦν οὐκ εἴασεν οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. *Nec sinit immolari taurum, aut plus tribus palliis in funus imponere.* Quæ ἱμάτια Soloni, ea Xuiris reicinia. De reiciniis Romanis Varro lib. I. de vita P. R. quemadmodum Nonius habet in *Ricinium. Ex quo*

mulieres in aduersis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum, ponunt, ricinia sumunt. Sumebant reicinia mulieres ante funeris elationem, siue indutæ reiciniis domi lugentes ritu Romanico VII. dies, IIXº. ijs reiciniis in lectulum feralem impositis, togas sumebant pullas quibuscum in funus prodirent. Eæque deinceps vestes in luctu. Varro Terent. III. de vita P. R. *Ut dum supra terram essent, reiciniis lugerent: funere ipso, vt pullis pallis amictæ.* Nonius in *Pullus color.* Eædem & togæ anthracinæ Varroni lib. eod. de vita P. R. cuius loci fragmen item Marcellus habet in *Anthracinus. Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proxima amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum.* Ex ritu hoc & Ouidius in XI. Naiades inducit lugentes in carbasis pullis. Carbasa nempe pallia fluminum, Nonius.

Ritus autem hic mortuis reicinia inijciendi nec Suetonio intactus Iulij c. xxxiv. neque Poëtis vt Maroni Æneide vi. funere Archemori. Alia autem vestis, quæ non iniecta funeri, sed qua mortuus vestitus Romanus toga, Græcus pallio. In ritum itaque reiciniorum malè Homeri locum impegêre ex Iliade xxiv. funere Achillis.

ET VINCVLA purpuræ.

Reiciniis vincula purpuræ, nam prætexta clauo purpureo. Sex. Pompeius. *Recinium*, inquit, *omne vestimentum quadratum. Ij qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam qua mulieres vtebantur, prætextam clauo purpureo. Unde reciniati mimi planipedes, &c.* Rectè hic Pompeij locus sanus. Exulcerauêre in Criticis suis tali rescriptione. *Ricinium omne vestimentum quadratum ij qui duode-*

duodecim interpretati ſunt, eſſe dixerunt. Ver. togam qua mulieres vtebantur, prætextam clauo purpureo, id eſt, Verrius togam. ita corrigo, cum vetus ſcriptura ſit, vir toga qua, &c. Hæc illi. Sed profectò, nullus ibi Verrius. Ambiformis tantùm reicinij definito ibi. Illa communis, *Reicinium eſſe omne veſtimentum quadratum*: hæc propria, Reicinium ab interpretibus legis XII. definitum, *virilem togam qua vſæ mulieres* in luctu, &c. Virilem togam ibi ſcriptum patet ſequelâ. Vnde reiciniati mimi planipedes. Peculiare hoc in luctu Romanico, feminæ reiciniatæ viriliter, ſiue lugentes in toga virili reicinio: contra quàm Lycij lugentes ipſi veſte muliebri. Valerius c. VI. lib. II. Plutarchus conſol. Apollonij. Hæc itaque reicinia viris iniecêre mortuis, vt teſtificantes nullam deinceps virilem togam habituras domi. Hinc Maro illud ſignificanter Æneide VI.

funere Miseni ---- *Velamina nota.* Togas qualibus olim vsus. Reicinium species togæ vt Pompeij loco antedicto, reicinium toga. Et Seruius ad illud Æneid. I. --- *Gentémque togatam.* togis reicinia cõparat.

Toga vestimentum viris feminísque commune, vt de toga prætexta Asconius notauit ad III. Verrin. vbi malè abest nomen prætextæ. Seruius loco prædicto. Togas, inquit, etiam feminas habuisse, cycladum & recini vsus ostendit.

Vt togis sic & reiciniis vsi communiter, vt prænotatum ex Seruio. Neque alia Varroni mens IV. de ling. Lat. vbi ait, *Vt antiquissimum mulierum reicinium.* Distinguit nempe à reicinio virili: vt &, Ταφῇ Μενίππου, *de muliebri reicinio, &c.* Nonius in *Ricinium.* Sic Arnobij lib. VI. *Riciniatus Iupiter atque barbatus, &c.* Reicinio virili, siue reiciniatus aut togatus viri-

liter. Vt Clitumnus prætextatus Plinij epist. IIX. libr. IIX. Et apud Tertyllian. c. XIIX. De idololatr. Idolis *prætextæ, & trabeæ, & laticlaui*. Sic Græcanici Dij palliati. Dionys. Prus. ora. περὶ σχήματος. Etiam, in toga Iupiter palmata, inquit Seruius ad Ecl. x. Propriius picta diceret. Nam toga propriè picta, tunica palmata. T. Liuius lib. x. *Quos nec sellis curulib. toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphi honoraueritis*. Et lib. xxx. *Masanissa toga picta, & palmata tunica donatus*. Et lib. XXXI. Iul. Capitolin. in Gordianis. *Palmatam*, inquit, *Gordianus tunicam, & togam pictam, primus Romanorum priuatus suam propriam habuit*. Fl. Vopisc. in Aurel. *Togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, &c.* Distinguit & Sex. Pomp. in *Picta toga*. Communiter quidem & proletariè toga etiam palmata dicitur subinde, vt Ausonius Gratiar. act.

eodem significatu, togam palmatam & pictam vocat, cui cum scripsisset Gratianus A. *Palmatam tibi misi, &c.* Respondet. *Hæc planè est picta, vt dicitur, vestis, &c.* Sic & Sidonius epist. VI. lib. IIX. turbidè. Vt & vetus interpres Iuuenal. ad Sat. x. Et Isidor. c. XXIV. lib. XIX. Aurel. Cassiod. Form. I. lib. VI. Sidon. Panegyrico Maioriani. Picta nempe toga non palmata. Picta sc. rerum argumentis. Vt gratiarum actione Ausonius. *Constantinus*, inquit, *in argumento vestis intexitur.* Tunica verò palmata, intexta nempe palmis, quod innuens Sex. Pompeius, *Tunica*, inquit, *palmata à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Idémque rectè admonet. Togam quæ tunc picta, olim purpuream sine pictura fuisse.

Neque illud Seruij sincerum loco quem dixi, eandem facientis togam Iouis, & tunicam Iouis, ex Iuuenalis Sat. x. Ioui enim tan-

quam quot diebus triumphanti vtráque toga picta & tunica palmata. Vtraque simul vestis triumphantium vt locis antedictis, & in nummis triumphantis Augusti. Ambitu crescente, toga picta quæ fuerat triumphalis facta est consularis vt patet Ausonij gratiarum actione illa, & protreptico.

Sed pausa tandem: multæ nobis hæ remoræ iam, siue remeligines in hoc cursu. Festi quidem locus sic maneto vt habet, ratúmque esto, & togam virilem fuisse reicinium, siue loquelariter dicam, mauortem siue mafortim, siue mafurtium. Seruius, Nonius, Isidor. locis prædictis: & virilia mulierum reicinia fuisse in luctu & reicinia esse tanquam reiicinia, vt *reice*, *reijce*: *reiculæ oues*, *reijculæ*, *&c*. De *maforte* autem moueamus perfunctoriè; pro capitis & velamento muliebri accipi, vt in Gloss. Isid. Sic μαφόριον, Niceph. Eccles. histor. c. XXIII. lib. II.

ET DECEM TIBICINES.

Funeribus priuis, tibicines. Itaque de his Xuiri. At publici funeris pompa ex lex, in eaque tubicines. Sic tibiæ funeris priui, Ouidij v. Fastor.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Et Eleg. 1. lib. v. Tristium.

Tibia funeribus conuenit ista meis

Et Ciceronis II. de Legibus. *Honoratorum virorum laudes*, siue nænia, *ad tibiam.*

Publici vero funeris næniam ad tubas cantatam liquet Propert. eleg. vlt. lib. IV.

Sic moesta cecinere tuba -----&c.

Satis absonè Critici vellent.

Sat mœsta cecinere tuba. ---------

Patet idem el. IV. & IIX. lib. II. & definitione Epicteti. *Quid est tuba funeris deploratio.* Et eleganti nar-

ratione Hygeni fabulis c.ccLXXIV. vnde & C. Tacito lux annali III. cum ait, in funere Germanici requiſitam à populo næniam. Aculeus ille in Tiberium quo non inſciente, Germanicus necatus veneno. At, inquies, tibicines in funere C.Iulij Cæſaris publico, Suetonij c. xxcIV. Sanè, ſed à librarijs tibicines illi: à Tranquilli manu ipſa tubicines. Neq; dixeris ſcænicos ibi acceptos à Suetonio tibicines. Nã hi cõprehenſi dictione ſequẽte *& ſcænici artifices &c.* Hinc patulæ iã ineptiæ dubitantiũ, *tibicines* ibi, an *ſiticines* melius. Longè verò ſcænicam & feralem tibiam intereſſe, planè oſtendit Ariſtot. c. IIX. lib. v. de ortu animal. Galen. lib. III. de cauſ. ſymptom. vt & tubam feralem diſtinguit à ceteris Ouid. el. IV. lib. II. Amor.

Pro longa reſonẽt carmina veſtra tuba.

Alia & illa tibiæ tubæque nota, Tibias puerorum, tubas virorum

funeribus. Itaque Papin. lib. VI. tibias tribuit ------ *minorib. umbris*. Et ait. (*manes*.

Tibia cui teneros suetum producere De qua differitate & Seru. ad Æneid. V. ex eoque interpres Papinij.

HOC PLVS NE FACITO.

Frustra illi, quibus hæc clausula ista pertinere visa in caput sequens Et fuisse in XII. *Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito*. At x. illi viri cum dixissent de sumtu minuẽdo & tribus reicinijs, & vinculis purpuræ, & tibicinibus decem, ita clusere *Hoc plus ne facito*. Diceret volentes, Ne plus facito sumtus in elatione funeris, quam tria illa reicinia &c. Quis huic sententiæ fundus? ille ipse Tullius, vbi ait. *Extenuato igitur sumtu tribus reicinijs &c.*

XCII.

ROGVM ASCIA NE POLEITO.

A Tullio Cicerone & hæc numeratio II. de Legib. Sed neglecti & in hoc isto capite legis Xuiri. Nam postmodo exasciati rogi vulgò, passim. Exasciata & monimēta. Vnde in titulis ac elogijs monimentorum, *sub ascia posita & dedicata esse.* Vt Rauennæ. PONENDVM CVRAVIT, ET SVB ASCIA DEDICA. Et Lugduni. Et S. ASCI. PO. ET S ASC. DDC. Et Romæ ad D. Ioannis Lateran. ASS. FECERVNT DEDIKAVERVNT. Fabrile erratum, pro, SVB ASC. FECERVNT DEDICAVERVNT. Dixi, vt rogi exasciati, sic & monimenta. Nec dubites vt inepti, ascias & marmori aptas fuisse aliquas. Mar

mora ſecari certum, quid ni & aſciari? Sic & aſcia in calce. Vitruu. c. II. lib. VII. Nempe vt cum arena & ſerra ſectio, ſic cum arena & aſcia politio marmoris. L. Plin. c. VI. & ſeq. lib. XXXVI. Hinc & adpictæ marmorũ elogijs aſciæ vna pluresue.

Non exaſciati autem rogi tantum, ſed & picti. Plinius c. VII. lib. XXXV. Papin. lib. II. ſilu. Epicedio Glauciæ.

XCIII.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO.

ET hoc in ſolutum à Cicerone II. de Legib. *Mulieres*, inquit, *genas ne radunto*. &c. Sic enim rectè libri & vulgarij. & veteres. Indicaturã fecit & Plinius c. XXXVII. lib. XI. Sex. Pomp. in *Radere*. Critici iucundé ſtulto acumine ſic reſ-

cripſere. *Mulieres genas ne carpunto. Quia*, inquiunt, *pilos carpere ſolent mulieres paruulis forcipibus, non genas radere.* En cor Zenodoti &c. Sed & Seruium ſibi teſtem faciunt, qui ad Æneidem vlt. Legis caput hoc ita concepit. *Mulier faciem ne carpito.* Dicam. Seruius ibi vt ſæpe Seruius eſt. Abſonè *carpito*, & tinnitu ipſo, & numero. Stultè illud, *faciem* pro genis. Ita eſt? faciem vt Xuiri dixerint, quaſi nec ſcientes illi principes ciuitatis, quid facies? Neque obieceris Maronianum illud ex Æneid vi. *Unguib. ora ſoror lacerans.* Nam ora ibi pro genis poëticè, vt & Ouidij lib. xi. Alcyone *ora, comas, veſtem lacerat* ---- Propriè autem illud Æneid vlt. *Et roſeas laniata genas.* ----

Ergo neque ſic benè conceperis. *Mulieres genas ne radunto, faciem ne carpunto.* Nihil præter genas carpere ſolentes feminæ, neque faciei ſed genarum raſione in-

terdictæ. Plin. c. xxxvii. lib. xi. *Infra oculos*, inquit, *malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant*, xii. *tabular. interdicto radi à feminis eas vetante.* exterere aggressi illud, *vetante* Repugnat tinnimento Plinij, *radi à feminis eas.* Sex. Pom. *Radere*, inquit, *vetitum est in lege* xii, *id est, vnguibus scindere.* Tibull. el. i. lib. i.

Tu manes ne lęde meos: sed parcè solutis.

Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Quare autem mulierculæ genas non aut frontem aut alias oris partes rasitauere? Quia cognata quædam propensio commiserationis, oculis, genibus, genis. De qua Isidor.c.i.lib.xi. Quod autem Varro apud Seruium causam dicit, *vt sanguine ostenso inferis satisfaciant*: ea non magis genarũ sanguinem, quam aut frontis, aut brachij tangit. A. Seruio id mutuaticum vt item alia interpreti Papinij ad

Thebaidem VI. Tralatitia & causa illa quam Isidorus loco prædicto expressit. *Quia sanguis animæ possessio est.*

GenasXuiri ex ore Attico. In Solonia lege scilicet fuisse παρειάς. Indicio est Artemidorus c.xxx.lib. I. καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι. *Nam in luctibus, moris est lacerare genas.* Et Lucian. lib. de luctu. φοινίσσειν παρειὰς, *purpurare genas. Radere* autem Soloni, ἀμύσσειν. Plutarch. in Solone funebrem eius legem laudans, vetitas, inquit, ea lege, ἀμυχὰς κοπτομένων, *rasiones plangentium.* Itaque & Lucian. lib. de luctu, τὸ πρόσωπον, inquit, ἐξ ἐπιπολῆς ἀμύσσειν. *Os leuiter ac de plano radere.* Proximùs legis verba dixisset τὰς παρειάς, *&c.*

Benè autem Artemidorus οἱ ἄνθρωποι. Nam quasi ritus genticus, hæc genarum rasio. Vt & apud Agathiam lib. v. barbari, τοῖς ξιφιδίοις τὰς παρειὰς καταξαίνον-

τες ὠλοφύροντο. *Pugiunculis sine sicul{is} genas suas sibi radentes eiulabant.*

NEVE LESSVM FVNERIS ergo habento.

De *lesso* variauêre Xuirorum interpretes, Sex. Ailius & L. Acillius *vestimentum* esse *funebre*: Lailius funebrem eiulationem. Hoc Tullius, *verum esse*, inquit, *iudico*. Rationes ei. Quia id lessi *vox ipsa significat*: & quia lex Solonis *idipsum vetat*. Idemque Tuscul. II. Eiulatum esse ait lessum quem XII. tabulæ in funeribus adhiberi vetuerint. Proletarij libri malè pro lesso ibi fletum. Facit cum Cicerone & Plaut. Trucul. Sc. XIII.

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio. Luserit operam qui reponere voluerit, *lausum*. Propriè itaque lessus præficorum & præficarum eiulatio. Sic & Solonia lex vetuit, τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν

ταφαῖς ἐπιγρων. Plutarchus Solone.

XCIV.

HOMINI MORTVO.

PErgo facere numerationem à Tullio. Is II. de Legib. *Homini, inquit lex, mortuo, &c.*

NE OSSVA LEGITO.

Non vetat lex oſſa legi, ſed legi ad ſumtum & oſtentationem maioris funeris.

Oſſua autem priſci dixêre vt epitaphio Leſbiæ, & Laodiciæ: & *oſſuarium* l.II. D. De ſepul. viol. & veteri inſcriptione, IVLIA FVSCINIA OSSVARIVM VIVA SIBI FECIT.

QVOI POST FVNVS FAXIT.

Cui homini poſt, &c.

Huius autem iuſſi exceptio illa mortis bellicæ & peregrinæ. *Excepit*, inquit Cicero, *bellicam peregrinámque mortem.*

Surculus illius exceptionis, membri abſciſio de qua Feſtus. *Membrum*, inquit, *abſcindi mortuo dicebatur, cùm digitus eius decidebatur, ad quod ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore combuſto.* Facta huic ritui pauſa, ſi forte SC. de quo Appian. libr. 1. bellor. ciuil. Factum id SC. bello Italico. Ἀπὸ τοῦδε, inquit, ἡ βουλὴ τοὺς ἀποθνήσκοντας ἐν τοῖς πολέμοις ἔκρινεν ἔνθα περ ἂν ὦσι θάπτεσθαι. *Abhinc Senatus decreuit, vt in bellis mortui, eo vbi eſſent loci ſepelirentur.* Et SC. illius rationem adiungit.

Fors ſitan autem & alijs gen-

tibus ille membri abſciſiritus. In patria enim ſua omnes ſepeliri expetiuere. Hinc & ritus alter, quo ſueti ſocij itineris animas eorum qui in hoſtico eſſent mortui, ſecum in patriam factis ſacris, vocitare. Explicat interpres Pindari, ad Pythia oda VI. Scholiaſtes Homeri ad IX. Odyſſ. Tertius quoque ritus ille hinc natus, *Parentarij*, ſiue loci vbi peregre mortuos colerent Caricius lib. I.

XCV.

TVllius loco prænotato. *Hæc* inquit, *præterea ſunt in legibus, de vnctura: quibus ſeruilis vnctura tollitur, omniſque circumpotatio. Quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur, niſi fuiſſent, ne ſumtuoſa reſpercio, ne longa corona, ne acerræ prætereãtur.* Quæ ſeriatim, quia ſic res fert, explico.

SERVILIS VNCTVRA.

Seruilis vnctura. est pollinctoria Nō placiua hęc Xuiris, at illam cognatorum qua vxor aut propinqui vnxere corpus, nō vetuere. Sed neq; de illa seruili iussum Xuirale tenuit vt prologo Patrui Plautinæ, Et loco Varronis quem Marcellus adfert in *Pollinctores*. At Sidonius epist. XIII. lib. III. impropriè *Pollinctorem* dixit pro vstore.

OMNISQ. CIRCVMPOTATIO.

Omnis. Nam & in ipsa vnctura circumpotauere, & mulsum ad portam dedere, vt in funere P. Scipionis Africani. T. Liuius lib. XXXIIX. At cū reuersi ab exsequiis alia circum potatio, περίδειπνον. Homerus Iliade vlt. funere Hectoris. Lucian. lib. de luctu.

NE SVMTVOSA RESPERSIO.

Ne rogus vino reſpergeretur, quod & ante vetitum lege Numæ. *Vino rogum ne reſpergito.* Plin. c. xii. lib. xiv. Poſtumiam ibi cum Plinius hanc legem dicit, intellege funebrem, ſiue de his quæ poſt mortem. Nota res ſic vſurpari poſtumum. At *Poſtumiæ magiſtræ lex* Catuli epigr. xxiv. eſt, quam dixit nota & nobilis modiperatrix, ſiue conuiuij dictatrix, ſiue regina mẽſæ aut conuiuij, Poſtumia.

De rogis vino reſperſis alia dicendi meta. Perfuſoriè notemus. Rogi vino ſparſionem aliam in rogum ardentem fuiſſe, de qua Poeticè Nonnus Dionyſ. li. xxxvii. funere Opheltæ μεθύζειν κονίην. *Ebriare cinerem.* De eadem & Homerus funere Patrocli Iliade xxiii. Silius lib. xvi. Alia reſperſio

illa qua rogus exſtinctus. Homerus Iliade xxiv. funere Hectoris, Iliade xxxiii. funere Patrocli. Virgil. Æneid. vi. Propert. el. vii. lib. iv. Papin. lib. ii. Silu. Epicedio Pileti. Prudent. Hymno vi. Auſon. Parental.

NE LONGÆ CORONÆ.
Vt Ouid. iv. Faſtor.

Et tegat ornatas longa corona fores. Sic στεφάνους μακρὰς Ariſtides orat. de reb. ſacris. Eædem & *nexa corona.* Ouid. Eleg. v. lib. v. triſt. Huiuſmodi coronis redimiri ſolita funera ſiue libitinæ, & ſepulchra, Plin. c. iii. lib. xxi. Tertyll. de corona mil. Atqui cõtra iuſſum hoc Xuirale non ſolum ornata funera longis coronis ſed & præferri ſolitæ coronæ donaticæ miſſæ ab amicis vt in funere Sullæ Appiani lib. i. bell. ciuil. Vt & ritu Attico tænias ſoliti amici mittere mortuo. Interpr. Ariſtoph. ταινίας τοῖς νεκροῖς ἔπεμπον οἱ φίλοι.

NEC ACERÆ PRETEreantur.

Legunt alij, *præferantur* sed neutrum esse videtur à Xuiris aut Cicerone, & Tullium voluisse intelligi sunto. Alterutrum tamen si retinendum, illud malim, *prætereantur*. Nam coloratum est antiquitate.

Acerras autem cape arcellas thurarias. De his Festus in acerra. Glossæ *Acerra*, turibulum, λιβανωτρίς, λιβανωτίς.

XCVI.

MVRATAM POTIONEM mortuo ne indito.

SEx. Pompeius in *Murrata potione. Duodecim, inquit, tabulis, cauetur, ne murrata potio mortuo*

terdictæ. Plin. c. XXXVII. lib. XI. *Infra oculos*, inquit, *malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant*, XII. *tabular. interdicto radi à feminis eas vetante.* exterere aggressi illud, *vetante* Repugnat tinnimento Plinij, *radi à feminis eas.* Sex. Pom. *Radere*, inquit, *vetitum est in lege* XII, *id est, vnguibus scindere.* Tibull. el. I. lib. I.

Tu manes ne lade meos: sed parcè solutis.

Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Quare autem mulierculæ genas non aut frontem aut alias oris partes rasitauere? Quia cognata quædam propensio commiserationis, oculis, genibus, genis. De qua Isidor. c. I. lib. XI. Quod autem Varro apud Seruium causam dicit, *vt sanguine ostenso inferis satisfaciant*: ea non magis genarũ sanguinem, quam aut frontis, aut brachij tangit. A. Seruio id mutuaticum vt item alia interpreti Papinij ad

Thebaidem VI. Tralatitia & caussa illa quam Isidorus loco prædicto expressit. *Quia sanguis animæ possessio est.*

Genas Xuiri ex ore Attico. In Solonia lege scilicet fuisse παρειάς. Indicio est Artemidorus c.xxx.lib. I. καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι. *Nam in luctibus, moris est lacerare genas.* Et Lucian. lib. de luctu. φοινίσσειν παρειάς, *purpurare genas. Radere* autem Soloni, ἀμύσσειν. Plutarch. in Solone funebrem eius legem laudans, vetitas, inquit, ea lege, ἀμυχὰς κοπτομένων, *rasiones plangentium.* Itaque & Lucian. lib. de luctu, τὸ πρόσωπον, inquit, ἐξ ἐπιπολῆς ἀμύσσειν. *Os leuiter ac de plano radere.* Proximùs legis verba dixisset τὰς παρειάς, *&c.*

Benè autem Artemidorus οἱ ἄνθρωποι. Nam quasi ritus genticus, hæc genarum rasio. Vt & apud Agathiam lib. v. barbari, τοῖς ξιφιδίοις τὰς παρειὰς καταξαίνον-

τες ὠλοφύροντο. *Pugiunculis siue sicults genas suas sibi radentes eiulabant.*

NEVE LESSVM FVNERIS ergo habento.

De *lesso* variauêre Xuirorum interpretes, Sex. Ailius & L. Acilius *vestimentum* esse *funebre*: Lailius funebrem eiulationem. Hoc Tullius, *verum esse*, inquit, *indico*. Rationes ei. Quia id lessi *vox ipsa significat*: & quia lex Solonis *idipsum vetat*. Idemque Tuscul. II. Eiulatum esse ait lessum quem XII. tabulæ in funeribus adhiberi vetuerint. Proletarij libri malè pro lesso ibi fletum. Facit cum Cicerone & Plaut. Trucul. Sc. XIII.

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio. Luserit operam qui reponere voluerit, *lausum*. Propriè itaque lessus præficorum & præficarum eiulatio. Sic & Solonia lex vetuit, τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν

ταφαῖς ἑτέρων. Plutarchus Solone.

XCIV.

HOMINI MORTVO.

PErgo facere numerationem à Tullio. Is II. de Legib. *Homini, inquit lex, mortuo, &c.*

NE OSSVA LEGITO.

Non vetat lex oſſa legi, ſed legi ad ſumtum & oſtentationem maioris funeris.

Oſſua autem priſci dixêre vt epitaphio Leſbiæ, & Laodiciæ: & *oſſuarium* l.II. D. De ſepul. viol. & veteri inſcriptione, IVLIA FVSCINIA OSSVARIVM VIVA SIBI FECIT.

QVOI POST FVNVS FAXIT.

Cui homini post, &c.

Huius autem iussi exceptio illa mortis bellicæ & peregrinæ. *Excepit*, inquit Cicero, *bellicam peregrinámque mortem.*

Surculus illius exceptionis, membri abscisio de qua Festus. *Membrum*, inquit, *abscindi mortuo dicebatur, cùm digitus eius decidebatur, ad quod seruatum iusta fierent, reliquo corpore combusto.* Facta huic ritui pausa, si forte SC. de quo Appian. libr. I. bellor. ciuil. Factum id SC. bello Italico. Ἀπὸ τοῦδε, inquit, ἡ βουλὴ τοὺς ἀποθνήσκοντας ἐν τοῖς πολέμοις ἔκρινεν ἔνθα περ ἂν ὦσι θάπτεσθαι. *Abhinc Senatus decreuit, vt in bellis mortui, eo vbi essent loci sepelirentur.* Et SC. illius rationem adiungit.

Fors sitan autem & alijs gen-

tibus ille membri abſciſi ritus. In patria enim ſua omnes ſepeliri expetiuere. Hinc & ritus alter, quo ſueti ſocij itineris animas eorum qui in hoſtico eſſent mortui, ſecum in patriam factis ſacris, vocitare. Explicat interpres Pindari, ad Pythia oda VI. Scholiaſtes Homeri ad IX. Odyſſ. Tertius quoque ritus ille hinc natus, *Parentarij*, ſiue loci vbi peregre mortuos colerent Caricius lib. I.

XCV.

TVllius loco prænotato. *Hæc* inquit, *præterea ſunt in legibus, de vnctura: quibus ſeruilis vnctura tollitur, omniſque circumpotatio. Quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur, niſi fuiſſent, ne ſumtuoſa reſpercio, ne longæ coronæ, ne acerræ prætereãtur.* Quæ ſeriatim, quia ſic res fert, explico.

SERVILIS VNCTVRA.

Seruilis vnctura. est pollinctoria Nō placiua hęc Xuiris, at illam cognatorum qua vxor aut propinqui vnxere corpus, nō vetuere. Sed neq; de illa seruili iussum Xuirale tenuit vt prologo Patrui Plautinæ, Et loco Varronis quem Marcellus adfert in *Pollinctores*. At Sidonius epist. XIII. lib. III. impropriè *Pollinctorem* dixit pro vstore.

OMNISQ. CIRCVMPOTATIO.

Omnis. Nam & in ipsa vnctura circumpotauere, & mulsum ad portam dedere, vt in funere P. Scipionis Africani. T. Liuius lib. XXXIIX. At cū reuersi ab exsequiis alia circum potatio, περίδειπνον. Homerus Iliade vlt. funere Hectoris. Lucian. lib. de luctu.

NE SVMTVOSA RESPERSIO.

Ne rogus vino reſpergeretur, quod & ante vetitum lege Numæ. *Vino rogum ne reſpergito.* Plin. c. XII. lib. XIV. Poſtumiam ibi cum Plinius hanc legem dicit, intellege funebrem, ſiue de his quæ poſt mortem. Nota res ſic vſurpari poſtumum. At *Poſtumia magiſtra lex* Catuli epigr. XXIV. eſt, quam dixit nota & nobilis modiperatrix, ſiue conuiuij dictatrix, ſiue regina mẽſæ aut conuiuij, Poſtumia.

De rogis vino reſperſis alia dicendi meta. Perfuſoriè notemus. Rogi vino ſparſionem aliam in rogum ardentem fuiſſe, de qua Poeticè Nonnus Dionyſ. li. XXXVII. funere Opheltæ μεθύζειν κονίην. *Ebriare cinerem.* De eadem & Homerus funere Patrocli Iliade XXIII. Silius lib. XVI. Alia reſperſio

NEC ACERÆ PRETEreantur.

Legunt alij, *præferantur* ſed neutrum eſſe videtur à Xuiris aut Cicerone, & Tullium voluiſſe intelligi ſunto. Alterutrum tamen ſi retinendum, illud malim, *prætereantur*. Nam coloratum eſt antiquitate.

Acerras autem cape arcellas thurarias. De his Feſtus in acerra. Gloſſæ *Acerra*, turibulum, λιϐανωτρίς, λιβανωτίς.

XCVI.

MVRATAM POTIONEM mortuo ne indito.

SEx. Pompeius in *Murrata potione. Duodecim, inquit, tabulis, cauetur, ne murrata potio mortuo*

indatur, vt ait Varro in antiquitatum libro primo.

Quid murata potio, siue murina, siue murinum vinum, est Plinij c. XIII. lib. XIV. vbi versus Fabij Dossenni.

Mittebam vinum pulchrum, murinam. Fuit si forte.

Mittebam vinum, pultem, panem, murinam. Vt in versu qui sequitur.

Panem & polentam vinum murinam. Plenius.

Panem & polentam, pultem, vinum, murinam.

Abscisè, *murina*, murata siue murina potio. Sic & Plauti Pseud. sc. IIX. murina pro murata potione siue vino murino.

Fauonium siue Zephyrium ouum est Hieronymi Mercurialis, varium illud c. I. lib. V. vbi, *damno*, inquit, *sententiam Plinij, & nego murinam vllo modo vinum fuisse.* Nimis præfidenter hoc quidem & infrunitè. Nam qua ratio-

ne Plinij forcillat fidem? Quia, inquit, testes à Plinio laudati, vinum & murinam separant. Itane subula leonem qualis Plinius est, excipi? A vino disparant illi testes murinam, sed vt vinum factitium à natiuo. quæ mens & Plinio.

Testem sibi varia illa in Plinium faciunt & A. Gellium c. XXIII. lib. X. sed is antistari se non patitur. Nam, mulieres, inquit, temeto interdictas, *bibere* tamen *solitas loream, passum, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia.* Alij libri. *Et quæ id genus optant, potu dulcia.* Alij. *Et quæ id genus sapiant, potu dulcia.* Omnis hæc à librariis latinitas. A.Gellij manus. *Atque id genus epotare, potu dulcia.* Epotare accipe, cum Diis libarent. Dulcia enim solitæ mulieres libare. Varro I. de vita P. R. Marcellus in *Lora. Nec* vsæ vino mulieres nisi cum libarent Seru. ad illud Æneid. I. *Primáque liba-*

to. — Cum libauissent pauxillulum de patera, epotabant ipsæ, siue ducebant iucundulè pateram totam. Vt Æneide I. Plaut. Curcul. sc. II. *Venus de paullo paullulum hoc tibi dabo, &c.* Sed nihil hæc A. Gellij manus contra Plinium. Sirempse mens vtrique, murinam esse vinum, sed dulce siue factitium, vt & Sex. Pompeio est *murinum vinum*, in *murrina*.

Ne illa quidem ratio nauci est. Non potuisse vinum murra condiri, siue dulce fieri, propter murræ amaritiem. Vellem oculis vsus in Plinio suis esset. Nam patet Plinij capite illo, vinum sic murra conditum, vt odor quæreretur, non saliua murræ. *Lautissima, inquit, apud priscos vina erant, murræ odore condita.* Similiter Iun. Columel. c. xx. lib. XII. Et huc Plinius eodem capite ludens, illud significanter dixit. *Non inter vina modo murinam, sed inter dulcia quoque nominatam.* Nempe mirum

rum ſic condiri potuiſſe, vt quanquam murræ notus ſit amaror, murina tamen potio dulcicula eſſet, ſcin' quomodo? Vt quidem Feſtus notet, *murrinam* eſſe *genus potionis quæ Græcè dicitur nectar.* Et Iſidor in Gloſſ. Hinc & in ſupplicationibus ad puluinaria, Diis adpoſita potio murata, quippe nectar. Feſtus in *Murrata potione.*

Neque illud ex vario illo capite, penetrale telum eſt, in A. Gellium. Si propter Venerem abſtentæ mulieres à Baccho, magis à murina ſyringiandas fuiſſe. Id enim acrius Veneri ſuſcitabulum. Facit huic ſententiæ & Satrij Comici verſus & Petronij locus qui apud Fulgent. Mythologiæ c. De Murra & Adoni. lib. III. Facilè A. Gellius hoc telum exit. Non enim libidini Romulus quoquo modo, ſed libidini ex ebrietate frenos inijcere lege illa voluit. At dulcia illa vina, dicam veteri voce, quaſi

inuinia & ἀμέθυστα sunt, siue non ebriant. Plutarch. Sympos. Quæst. VII. lib. III. Dulciculis itaque potionibus illis non interdictæ mulieres cum libarent. In libationib. quidem murata potio ita familiaris sequiori sexui, vt & blandulè muliebri ὑποκορισμῷ *murriolam* indigetarint. Festus in *Murrina*. Equidem & Marcelli *moriolam* ex *murriola* factam dixero à librariis, cum scriptum esset *morriola*. Hoc verò amplius. Cum alias murrina delectatas mulieres, tum *imprimis maiores natu*. Varro I. de vita P. R. Marcellus in *Lora*. (rectiùs, *Lorea*.) Senili enim aptiora saliuæ dulcia.

Opposuêre Plinio & illud Festi cum ait. *Quidam murratum vinum dici putant, ex vua genere murrina nomine*. Nam si ex vuæ genere murrata potio, non est ex conditura murræ, inquiunt. Sed hypenemium illud. Non enim decernit Festus, sed notat quid illi qui-

dam dixerint : vt nec Varro decernit eandem eſſe potionem paſſum & murinam, cum ait de vita P. R. *Antiquæ mulieres maiores natu libabant loram, aut ſapam, aut defrutum aut paſſum, quam murinam quidam Plautum adpellare putant.* Lege. *Antiquè* &, *loream.* Intereſt enim *lora* & *lorea.* Itaque & Marcellus prius de *lora*, tum de *lorea.*

Neque ab illis Plinio periculum, qui murinam à μύρου ſiue vnguenti nomine dictam voluêre, non à myrra. Nam eſto ſanè, Iul. Pollux ita ſentit c. II. lib. VI. Quid refert ? Soluit hunc ipſe nodum Plinius c. XVI. lib. XIV. Vinum aromatites principio murra conditum fuiſſe, poſt & alia indita eſſe aromata. Hinc vocari cœptum μυῤῥίνην οἶνον, μύρῳ κεκραμένον. De quo Iul. Pollux. Vnguenta ſcilicet, in hoc ſermone aromata. Hæc diſſertaui pauculis, vt morula ſaltim aliqua Plinio ſit, os me-

dicis prębendi ad malè audiendum quotidie.

Mittamus iam de murina muricidas muginationes, (ludens hoc dixero) ſpectemus Quirites becceſelenos, murinam ſiue nectar in mortui os indere, tanquam in cœna ad cœlum viatica, & iam diuinari ingreſſos: Xuiros autem vt nefas prohibentes. Nefas ingens murina ſiue nectar à libationibus & ſacris rectâ in os mortui.

Gloſſa. ἀποθειοῦμαι Diuinor Deus fio. Ἀποθεῶ. Diuino. Deum facio.

XCVII.

QVI CORONAM PARIT.

DE penu hoc C. Plinij c. III. lib. XXI.

Parit eſt pariit ſiue pariuit. Cic. II. de Legib. *Coronam virtute partam, & ei qui peperiſſet, &c.*

IPSE PECVNIA'VE EIVS.

Pecunia eius, ſerui eius. Plinius loco quem dixi *Namque ad certamina in circum per ludos & ipſi deſcendebant, & ſeruos ſuos quiſque mittebant. Inde illa* XII. *tabularum lex. Qui coronam parit, ipſe pecuniáve eius: virtutis ergo arguitor. Quam ſerui equíve meruiſſent, pecunia partam lege dici, nemo dubitauit.*

Ergo & abſentes Romæ coronati Circenſibus, quorum ſerui equiue viciſſent, vt in Olympiis Græciæ. In exemplum eſt Hiero Siciliæ tyrannus, Alcibiades, Philippus Macetum rex. De his Plutarchus in Themiſtocle, Alcibiade, Alexãdro. Etiam feminæ, Pauſan. Laconicis, Eliacis. Hygenus Aſtronomicis c. De leone.

VIRTVTIS ERGO ARguitor.

Oſtentetur illa eius in funere corona, virtutis ergô: Quippe στέφανος ἀριστείας, στέφανος ἐπινίκιος.

Hebes acumen illis qui repoſuere *arduitor, ſiue additor.*

IPSI'QVE MORTVO PArentibuſque eius.

Præmonſtrat hanc legis conceptionem Plinius ibi, ſequitur enim. *Quis ergo honos? vt ipſi mortuo parentibuſque eius, dum intus poſitus eſſet, foriſue ferretur ſine fraude eſſet impoſita.* Cicero autem II. de Legib. *Coronam,* inquit, *virtute partam, & ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet.* Parentem accipe qui habet in poteſtate, ſiue is pater, ſiue auus.

XCIIX.

VNI PLVRA FVNERA.

PRæit hanc legem Tullius, lib. eod. Credoque inquit, *quod erat factitatum, vt vni plura fierent funera, lectique plures sternerentur id quoque lege sanctum est.*

LECTOSQVE PLVRES.

De multitudine lectulorum funebrium Seruius ad illud Æneid. VI. ------ *aut quæ Tiberine videbis. Funera.* ------------ Et illud V. *Moenia respiciens.* ----- C. Tacitus annali IV. funere Drusi. Dio lib. LVI. funere Augusti.

NE INFERTO.

Propriè funera facere, lectos inferre, pompa nempe funeris.

NEVE AVRVM ADITO.

Ne lectus auratus sit. Αχρίτως autem. *Neuè aurum arduito.*

XCIX.

QVOI AVRO DENTES VINCTI.

VT Lucianus dixit ὀδόντας χρυσῷ ἐνδεδεμένους. Dentes hi exemtiles, in quos salsissimè lusit Martialis Coquus epig. XXXIIX. lib. IX. XLV. lib. V. LVI. lib. XIV. XXIII. lib. XII. LXXIII. lib. I.

Hanc legem Tullius exceptionem esse ait antecedentis. *Excipit*, inquit, *altera lex vt Quoi auro &c.*

C.

PRomus & hic Tullius eodem. *Nam*, inquit, *quod rogum bustum ve nouum vetat propius sexaginta pedes adijci ædes alienas inuito domino, incendium veretur acerbum.*

CI.

FORI BVSTIVE.

TVllius eodem *Quod autem*, inquit, *forum, id est, vestibulum sepulchri bustum ve vsucapi vetat tuetur ius sepulchrorum.*

Forum, vestibulum sepulchri Tullio interprete, & Festo in *Forum*. *Bustum* verò Tullius interpretatus τύμβον. lib. eodem.

ÆTERNA AVCTORItàs Esto.

Sepulchrum enim *multa religiosa iura conplectitur*, inquit Tullius, eod. Ergo & *iurctum* vocauere quasi iure actum. Glossæ *Iurctum* τύμβος. Inter hæc iura & illud, non posse vsucapi. Sic & in iure hodierno l. pen. D. De mort. inf. *Longa possessione ius sepulchri non tribui ei, cui iure non competit.*

PERORATIO.

Potuere capita legis etiam plura notari: Nam & tria testamentorum genera in lege. Itaque ad ius ciuile referri ea Iustinianus ait §. Sed illa, Instit. de testam. & de suasione ac dissuasione legum caput fuisse vnum ex T. Liuio suspicemur licet qui fine lib. XLV. de Paulli Æmilij triumpho narrans, *Cum priuatis* (inquit) *lege dicen-*

di locus esset ad suadendum &c. Ex eoq. capite legis natum illud Ciceroni videtur legum lib. III. *Rem populum docento, doceri à magistratibus priuatisque patiuntor.* Alia item capita legis aliqua sic venari copia est volenti, verba item singularia, vt *proquiritare*, Sidonij epist. VI. lib. IIX. Sed *nemo reprehensus, qui è segete ad spicilegium reliquit stipulam*, vt Varroni Terentio visum: aut vt Ioanni Damasceno, ἐπιφυλλίδα μετὰ τὸν τρυγητὸν καταλείπειν, ἢ στάχυν μετὰ τὸν ἀμητὸν διὰ τὸ πλῆθος παρορᾶν· ἢ ἐπὶ δένδροις ὀπώραν μετὰ τὴν συλλογὴν ἐκλανθάνεσθαι. Et tamen hoc ipsum spicilegium ego fecissem, nisi aliquis nescio quo pacto de syllabis & apicibus suis veniens, in hoc industriæ spatium, quasi desultorius in quadrigarum curriculū incurrisset. Huic dum satisfacio, legum collectionis pausam aliquam facio & horam de legitimis meis vnam perdo

Inuitissimus equidem, & dolens non argumentis sed maledictis me prouocari, & conuiciis ἀγροικικοῖς, qualia lusere olim Rulli, ---*peruncti fecibus ora*. Verborum itaque contumelias & carinationes missas omnes facio ego: argumentis enim & doctis dictis certare, & vt Ammianus loquitur, *sicam ingenij distringere* meliùs, quam maledictis.

Ad te itaque nunc flectit oratio mea quem in extremum reseruaui locum ne scoriis maledictorum tuis inquinarētur Xuiri mei. Enimuero si quæ in literulis tuis ego reprehendi honestissimè, refellere potuisses, non ita furenter irasci voluisses, subisset animum tuum cogitatio aliqua, posse & alios te *iniurijs atque imperiosis comminationibus confricare*. Sed vere dictum olim, ὀργὴ φέρεται ἢ αἲ τύχῃ. *Ira fertur, qua fors tulerit.* Verè & illud Ammianus, solere aliquos, *cum ad inopiam ve-*

nerint allegationum, ad effrenatam deflectere conuiciandi licentiam. Hac vtens quæque ſcripſi ego vnquam diſplicere tibi grauis auctor, Ἰουςόφρυς vt loquitur Alciphro, ὑπὲρ τοὺς κροτάφους ἐπήρας, pronunciaſti. Hanc Titus Suetonij meus bilem tibi conciuit, quem & propterea vellicas vt potes, reprehenſa in te omnia diſſimulans. At ego tuis nugalibus articulatim ecce reſpondeo, vt intelligas non meam hic ἀκρισίαν eſſe aliquam, ſed plurimam tuæ χολῆς ἀκρασίαν.

I. Negas in loco Strabonis rectè adiungi vocem ποταμόν. Immò enim belliſſimè conuenit. Videres, niſi vt Plautinus Amphitruo, *præ ira nihil videres*. Et ais mihi ſcripta Geographi exemplaria, ne per ſomnium quidem viſa vnquam. obſecro, Ita ne reſculæ meæ tibi omnes in repertorio tuo? *Muſca* tu quidem, diceret Plautus, itaque planè mi homo, *nihil poteſt*

clam te haberi. Et digna illa causa scilicet, cur sic omnes modestiæ limites migrares? Et mihi tua in auctores aliquos scripta dolent? Non si alia sexcenta dedisses & dares. Nam si quid quo literæ iuuentur est, lętor, omnibus enim modis fulciendę sunt: si quod παρόεργμα, si quam exorbitationem ibi tango ego, lætari debes. Nam suscitabula illa inspiciendi libri tui & illis, qui forte aliâs neglexissent.

II. Pergo autem. Negas Lampridij loco vllo Suetonij partitionem in libros illam indicari posse. An non Ael. Lampridius sic in vita Commodi, *Eum qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obyci iussit.* An non indicium facit libros Suetonij de Imperatoribus esse plures? Nec verò cum illam Suetonij librorum partitionem aliis obseruatam dixi, de te mihi cogitatio vlla. Eliæ Vineti obseruatio illa, notantis præterea ex Suidæ parti-

tione, IIX. librorum esse opus illud, in plerisque autem exemplaribus notari libros XII.

III. Iam meum illud περὶ συγγενικοῦ Καισάρων quomodo refellis? vt solitus, non iure sed iurgio & maliloquiis, quibus validè vales. Itaque prætereo ecce, tua ista monilia sunto. Nos autem scimus Criticas voces fuisse aliquas olim etiam in templo Pacis.

IV. Pergis autem & nouum tibi esse ais de Vespasiani cognomento, *Amor ac deliciæ generis humani*. Quia tibi nouum hoc, ergo neque omnino est? At ego illam vt coniecturam posui verisimilem, tu obliquè hinc velitandi occasionem rapis. Quid est? An Titi principium illud πλαίνῃ te obsecro? Anne satis bella tua principio Titi, παρένθεσις siue interpositio? Ergo & hic ingenium tuum facis, & conuiciari esse putas refellere.

V. Nam de aduersariis quidem

ſatis tuo indicio te prodis, ea te lectitare, qui tenes memoriter quid quaq; pagella ſcriptum ibi. At mihi ex meis promendi copia eſt, neque ocium inſpectandi, ſi quis notarit me prior δηλίκια Plutarcho eſſe non δηλίκια. Digna verò res ex qua tibi tragicum argumentum.

V I. Amplius. Sophronium ego defendo, tu ei occlamitas, *ô ſocordiam.* Mihi autem quid opponis? ſolitam tibi εὐπαροξυντίαν. Hæc tibi clypeus Aiacis eſt. Nam quod negas illud ἐν τῷ μεταξὺ τῶν δηλικίων ἐσχηκέναι poſſe ita Græce accipi, vt ſi dixeris Latinè, *in deliciis habuiſſe*, Priſcianum tibi delego. Hypercritico tuo acumini, dictum ſat eſt, neque τροφήν, expetis opinor ἀπαλὴν καὶ ἀληλεσμένην.

VII. Suidæ inſultas qui ex ſua magis quàm Suetonij mente illud, *deliciæ generis humani*, verterit τρυφή, deinde & mihi, qui oſten-

do Suidæ non fuiſſe vocem qua exprimeret illud, *deliciæ*, itaque τρυφὴν dixiſſe, quod ſermo Græcus verbum habet proximè ad Latini ſignificantiam accedens. Quid? hoc eſt docere τρυφὴν eſſe delicias? An non ſatius tibi de Attici eloquentia ſumere aliquid?

IIX. Tueris correctionem illam Suetonij Iul. c. LV. Eloquentia militari. Qua re, &c. Sed tueris quemadmodum Placideianus ille Lucilij pugnans ait,

Odi hominem, iratus pugno, &c.—

Nam Cicero quidem te nihil iuuat. Immo etiam ſat ſcio te patronum talem rideret cliens ille ſi viueret. Quid enim, Ciceronem *dicentarium* vocaui ego? Anne peccatum ibi aliquid! Magnum verò, inquis. Nam orator eſt, non *dicentarius* Cicero. Anne eſt vt dixi, ὀργὴ ἀπαρηγόρητον Quid enim? Orator *dicentarius* non eſt? Qui dicit, dicentarius eſt? orator dicit, ergo &c. Et gloſſæ.

Dicentarius ῥήτωρ, δικανικός. Pergis tamen cauillari, & a me Ciceronem *ſcurram & mimum* vocari ais. Ecce autem iterũ quia ὀργιλό ἄκρος non vides iuriſperitorum formulas & περιγραφὰς à me defendi contra Ciceronem, qui eas in cauſa Murenæ riſit, & quidem dico iterum, mimicè ac ſcurriliter riſit, quo tempore & M. Catonis Stoicos aceto illo perfudit, ne temperante quidem ſibi Catone quin diceret, *quam ridiculum habemus Conſulem!* Neque tamen mimũ & ſcurram Ciceronem vocaui ego. Eia tu, ſi correctiunculis tuis ſubinde es infelix, num iccirco malus criticus es? Qui ſemel dixit rhetorice aliquid, num iccirco rhetor ſiue *dicentarius* eſt? Negant hoc philoſophi. Ergo neque Cicero ſi quid mimicè dixit, ſtatim & mimus eſt.

IX. Venio ad caput floremque ipſum cœnæ tuæ de Fl. Vopiſci loco, quem fauente Vopiſco ipſo

restitui ego, tu male accipis. Nec enim Vopiscus ille tam insensus vnquam vt scribere vellet principi nihil tam fedum esse, quam de infimo gradu, in summum extulisse repente aliquem. Anne solus Carini amicus ille citius *in cælum quam asparagi coquãtur adscẽdit?* Non plurimi huic gemini germani in historijs, tanquam Curtius Rufus olim, *ex se nati?*

X. Etiam de Quæstore Palatij, morsus tui quales,.

-------qui vacua dentes in pelle fatigat.

Dixi quæsturam sacri Palatij nõ respondere dignitati Cancellarij, & arguo: Quia initium dignitatum quæstura illa: cancellariatus autem apex. Quid tu cõtra? Nihil obstare hanc rationem ais, quia sint *res diuersa munus ipsum, & dignitas muneri adtributa.* Heu *crudam callidamque & malam* responsionem, qualia, Theologi Afri hoc verbis dicam *puerilia dicibula In*

mari poma nasci, in arbore pisces. Vnde enim obsecro dignitas nisi ex munere, vt flos de stirpe? Deinde autem partes hodie Cancellarij, vel inprimis sigilli custodia vt & in Sinarum regno summa ille dignitate, qui cum aliarum] rerum maximarum arbiter tum sigilli regij custos, vnde & nomen ei *Sigillum aureum*, at veteris Romæ ritu custodia illa nõ Quæstoris sed Præfecti prætorio, quẽadmodũ ex Tito Suetonij meo discere potuisti.

XI. Iam vero cuius ille tandem iconij denarius, cum solens more tuo facis & pro commentario cõmentum adferẽs ais, in Tito meo ita esse, *Cancellarium hodie re & nomine eundem esse cum veteris Romæ cancellario*, Ita Cæcilios arbitrare lectores omnes vt expressim ita ibi perscriptum legere non possint. *Nec vero recens Cancellarij nomen sed & iam olim Romæ veteri vsurpatum.* Anne nomen, est tibi res & nomen? Me miserum qui in tam apertis hanc

λυχναψίαν tibi debeo, & horæ vnius hanc iacturam facere cogor. Non hoc insuper ibi exsertè, Cancellarium hodie illum mihi videri qui nouæ Romæ ὁ μέγας λογοθέτης? & vbi de Aurelio Cassiodoro est, quod ita scriptum, *ritu veteris Romæ*, amanuense παρόραμα *ritu nouæ Romæ* legere debuisti, & profecto legisses, nisi ex Tito tibi oculi doluissent, Hoc vnum: & nisi verum ὅτι θυμοὶ καθάπερ αἱ κύνες τυφλὰ τίκτουσι τὰ ἐγκλήματα. Hoc alterum Itaque postmodo si perges, vetus hoc audies, preterea nihil. *Date illi biber, iracundus hic est.* Ecquod enim hostimentum ciuilius quam putidis maledictorum aceruis sales opponere. Quod autem clamitas de veteris Romæ cancellariorum vilitate, desine obsecro te locis cõmunibus, domi hæc etiam tirunculis nascuntur. Quorum ecquis nesciens cantatissimum illud Turci Aproniani Præfecti vrbi edictũ

vbi ſic ordo. *Tribunus, officium, cãcellarius & ſcriba.* Quid te autem delectauit in his nugis *paratragoediare*, & quaſi tribunitium auxſilium implorare atque ſic quiritari: *cogi in ordinem togatæ militiæ principes* &c. Teſtor itaque me deinceps tuis *obſtrepitaculis* non magis permotum iri, quam Archytæ crepitaculis. Ad ſummam, veteri Romæ dignitas nulla, qualis hodie magni Franciæ Cancellarij, at nouæ Romæ talis, ὁ μέγας λογοθέτης.

XII. Iamne verò Siculæ tuæ ſalſuginis, omnes deterſæ nobis adſpergines? Guttula & nunc vna ſupereſt. Nec enim Titus meus tantùm, ſed & Perſius tibi dolori eſt. Periucundus in reprehenſione illa Dialecticus es, belléque propoſitionum ἰσοδυναμίας, non philoſophi ſtatera, ſed trutinâ tua expendis. At ego conuenientiſſimè, miluij volatu latifundia indicari à Perſio dixi, quemadmodum

& *agrarij mergi* cognomento apud Iul. Capitolin. Vt enim mergi ---- *circum freta lata volantes:* ſic *Pertinax* circum ſe latè per oppreſſorum foenore agros *pertinens*. Quo autem caſu factum vt præterires, quod agrariis mergis ſtatim ibi additum de gladiatore vulnus premente? quod quidem alieniſſimum ibi & operarũ culpa inrepſit. Nam eſt p.CII. vers.I, eſſe autem oportuit p. CIV. vers I. Sic enim locus vterque eſſe debuit p. CII. *Nam hæc auis ſolita circare* &c. P. vero CIV. *ſi vulnus acceperint* *Sic gladiatores premere vulnus dixit L. Seneca* c. XV. *In ſapientẽ non cad.intur. Aliter Demoſth. &c.*

His iam ſatis ſuperque retuſa plumbeæ tuæ diſputationis acies diſſipataque folia farfari, quæ tu argumenta eſſe credidiſti: ſi quæ ſunt alia nec vidi, nec ambigo quin eiuſdẽ farinę ſint, cõtumelias autem & ῥήματα κακοποιητικὰ, quemadmodum rex ille & vates

sanctissimus loquitur, & sarraca tua conuiciis plena, spero Deus ipse diluet, euertet.

L. D. P. F. S. S. E. V. M.

Prætermissum c. XLII. Vetus in hoc c. verbum illud, *Quod subruptum erit &c.* vt Plauti Menæhm. Sc.XI. *Palla subrupta* & Arnobij li. II. *Argumenta non desunt, quibus & sua decreta confirment & aliorum subrupiant & labefaciant scita* &c. Sic enim legit Consul in iuris ciuitate sine collega Iacobus Cuiacius Obseru. XXV. lib. XXVII. & c. LXXII.

Addo Naturali adoptioni poëticum primordiũ esse ab Hercule, qui adoptatus à Iunone, vt festiua Diodori narratio est lib. IV. qui & adscribit, hodièque ritum adoptandi illum vigere gentibus barbaris. Iupiter, inquit, Iunonem exorauit, adoptaret sibi Herculem. Formula adoptionis hæc

ista

ista fuit. Reclinauit se Iuno in lectulum & *Herculem ad corpus sibi adplicitum de sub veste ad terram fluere siuit, imitata veram parturitionem. Quo ritu hodieque Barbaricas gentes, cum adfiliare sibi aliquem, siue adoptiuum facere filium volunt Sic Apellis adoptio de qua Suidas in Apelle.*

R

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR lettres patentes du Roy nostre Sire, en forme de grace & Priuilege donnees à Paris, le 18. Mars 1603. signees Henry, & plus bas par le Roy, Potier: il est permis a Dauid Douceur Libraire iuré en l'Vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer vn liure intitulé *Legis XII. Tabularum collecta, opus Theodori Marcilij Professoris eloquentiæ Regij*: Iusques au temps & termes de dix ans à compter du iour qu'il sera acheué d'imprimer, tant de fois & en telle forme & charactere que bon luy semblera, faisant tres-expresses inhibitions & defenses à tous Imprimeurs & Libraires, & autres personnes de quelque estat & condition qu'ils soyent de ce Royaume, pays & terres de l'obeyssance de sa Maiesté d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter ledict liure sans l'expres vouloir & consentement dudict Douceur, sur peine de cinq cents escus d'amende & confiscation des liures qui seront par eux imprimez ou faict imprimer, mis & exposez en vente. Voulant sadicte Maiesté afin qu'aucun ne puisse pretendre cause d'ignorance, qu'au commencement ou à la fin dudict Liure soyét inserées lesdictes lettres patentes ou le sommaire d'i-

celles, ausquelles foy sera adioustée comme à leur original, comme plus à plain apert par icelles lettres, en date dés an & iour que dessus.

Acheué d'imprimer à Paris le huictiesme iour d'Auril 1503.





INDEX.

A.

B

D

E

F

L

M

Q

R

S

SCRIPTORES

Quà inlustrati, quà emendatiores, aut notati.

A

M

P

S

T

FINIS.



Χρῶ Ιυ

Χάριτες.

Δωδεκάδελτος ἐμὴ χρηστῷ τὶ φέ-
ρεις; τόδε Χριστοῦ,
Ὃς ταμίης πάντων χρηστομα-
θημοσύνης:
Εἰ δ' ἀθέτησιν ἔχεις, πὰρ ἐμοῦ θέ-
σις ἥδε. Βροτείη
Οὐχ οἵη πονέειν εὔθετα πάντα
φύσις.

P. cccxii. Papinio in funere Archemori. P. cccxlix. vers. τὰς ὀφρῦς, vt loquitur Alciphro ὑπὲρ τοὺς κροτάφους ἐπῆρας P. ccclııı. vers. penult: *dicentarius est.*

